

CONTINUATIO

CATALOGI VIRORVM SANCTITATE ILLUSTRIORVM

E CONGREGATIONE CASINENSI

ALIAS

S. JUSTINÆ
PATAVINÆ

PER EUDDEM REVERENDISSIMUM PATREM

D. MARIANUM ARMELLINUM

FJUSDEM CONGREGATIONIS
S. PETRI DE ASSISIO
ABBATEM.



ROMÆ, ANNO MDCCXXXIV.

Typis Jo: Zempel Germani Viennensis propè Montem Jordanum.

SUPERIORUM PERMISSU'.

COGITATIONES

MONSTRANTUR INSTRUMENTA MUNIMENTA
CONGRATULANTUR CASINENSIS

ЭИГАСТЫ
ЭИГАСТА

Qui cœpit opus bonum, perficiet. Philip. 1. 6.

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sac.
Pal. Apost.

N. Episc. Bojan. Viceſ.

IMPRIMATUR.

Fr. Jo: Benedictus Zuanelli Sacri Pal. Apost.
Magist. Ord. Præd.

ROME, ANNO MDCCXXIX.

Absoluto Assisi typis Sgariglianis gemino *Episcoporum*, ac *Reformatorum Catalogo*, vix incæptam tertii, *Virorum*, nempe, *Sanctitate Illustrium* impressionem abrumpere, & Romam plurium negotiorum causâ, denuo pergere oportuit. Hic ne postremi hujus Operis, quod lucubrationum mearum corona, Deo adjutore, esse debet, editio diutius differretur, eam statim continuandam curavi, sperans insuper fore, ut hæc Romana editio, longe castiga ior, ac pulchrior præcedentibus impressionibus prodeat.

APPROBATIONES.

JUSSU R̄MI Patris Sac. Palatii Apost. Magistri Fr. Jo. Benedicti Zuanelli attente perlegi librum inscriptum -- *Continuatio Catalogi*, *Virorum Sanctitate Illustrium* è Congregatione Casinensi, alias *S. Justinæ Patavine* pervigili cura elaboratum à R̄mo Patre D. Mariano Armellini Abate S. Petri de Assisio, ejusdem Congreg. cumque nihil in eo repeterim Fidei Catholicæ, vel bonis moribus dissonum, quinimo formandis ad probitatem fidelium moribus, præsertim Ascetarum per omnigena virtutum exempla aptissimum sit, & valde admiratus fuerim præclarissimi Authoris in colligendis vetustis monumentis solertiam, qua tot illustres pietate viros, è tenebris, hominumque ignoratione revocatos, vitæ lucique restituit, ideo ne ulla unquam obliuione extinguantur, eorum nomina, & insignia gesta in hoc opere, magna eruditione, variaque doctrina referto, elegantissime descripta, ut ad omnium utilitatem prælo committatur plane dignissimum puto. In quorum fidem Romæ scribem ac die 5. Xbris 1733.

Julius Mandofius.

REVERENDISSIMO PATRI DOMINO

D. MARIANO ARMELLINO

Abbatii Casinensi Franciscus Valesius S. P. D.

Illustrium è Sacro SS. P. Benedicti Ordine Virorum, qui vel monum Sanctitate, vel Præsulatu, aliisque Ecclesiasticis muneribus claruerunt, vitas, ac res gestas elegantissime à te conscriptas ea ani-

mi jucunditate perlegi , quā olim Bibliothecam Bene dictino Casinensem , quam ad exitum perductam nuper typis evulgasti , versaveram , quamobrem uberem æque fructum , ac vindemia protulit , hanc racemationem allaturam puto ; nec mirari satis possum , hominem grandævum , diuqe affecta valetudine , nulli labori parcentem tot librorum acervos pervolutasse , nec quidquam excidere passus fueris , quod ad amplissimi , & religiosissimi Ordinis gloriam ex illis rediret , nam etsi hic jampridem per se clarissimus sit , & ad summum honoris , dignitatisque gradum pervenerit , nihilominus Tu , & ingenio , acri judicio , verborumque elegantia illum novo splendores auges ; Opus hoc igitur , ut quamprimum in publicum prodeat dignissimum censeo , & exopto , propositis enim tot Sanctimoniac exemplis , legentium animos ad pietatem , ac religionem mirificè excitat . Vale meque tui obsequentissimum , ut quotidianis in prebus Deo commendes exoro . Romæ kalendis Decembris 1733.





HRYSOSTOMUS nobili Familia Nicolini Florentiæ prodidit, & ibidem apud Cœnobium Sanctæ Mariæ, quod vulgo Badiam vocant, Monasticum institutum amplexus est anno 1538. die 21. Septembris, qui ut in Sæculo pro ingenii sui acumine Scientiis omnibus, Latinæ præsertim, Græcæque linguae egregiam operam navavit, ita in suscepso Religiosæ vitæ proposito singularis pietatis cultu invictè perseveravit, imo veræ Sanctitatis exempla jugiter edidit. Erga Christi Domini Passionem miro devotionis sensu afficiebatur, ejusdemque Passionis, quoad fieri poterat, particeps esse, & maximopere cupiebat, & perquam enixè à Deo postulabat. Nec defuit votis ejus Rex dolorum, eum dignum reddens, *qui vesceretur cibo Regio, & biberet de vino, unde biberat ipse, suæ videlicet Passionis consortem;* nam primò Bononiæ dum esset Chrysostomus, in maximam animæ, corporisque angustiam eum incidere permisit, quâ cum acriter conflictaretur, benignissimus Salvator, qui non patitur quemquam supra vires tentari, illi apparens, mirificè eum est consolatus, ex quo tempore arctius Chrysostomus se Deo adhæsurum promisit, & consilia Evangelica perfectius servaturum. Florentiam reversus, occasionem promissa solvendi insperatam quidem, sed votis suis valde propitiam invenit, nam dum in Suburbano Camporearum, quò Monachi Florentini recreandi animi gratia nonnumquam secedunt, arbores quasdam putaret, crus sibi imprudens securi percussit (hebetudinem enim oculorum patiebatur) ex quo vulnere incurriā, vel ignorantia Medici Vulnerarii male curato, insanabilem plagam contraxit, quæ ei acerbissimos dolores, ac denique etiam mortem attulit. Dolores quidem illos fortiter, ac patientissime tolerabat, sed quum aliquando ob novam vulneris incisionem, & doloris vim impatientiā non nihil pulsaretur, & ejus animus solicitudine anxius in diversa raperetur, adfuit statim humana specie Salvator, qui eum blande increpans, ad perfectam patientiam confortavit, & ad veram fiduciam erexit, nec post multos dies ingravescente morbo Sanctissimis Ecclesiæ Sacramentis devotissime suscep-tis, Cellæ fænestræ, ut Cœlum aspiceret, aperiri postulavit, elevatisque sursum oculis, ac manibus in modum Crucis supra pectus compositis, Christi Domini Crucifixi imaginem, qua apertum latus exhibet pressis labiis exosculans, felicissime ad eum migravit anno 1560. die 18. Aprilis hora 11. ætatis suæ ann. 37. omnibus, qui aderant ingenti stupore, & maxima admiratione captis, & ad tam beatæ mortis imitationem vehementi desiderio incitatis. Ex Necrologio Monachorum Abbatia Florentinæ MS. pag. 28., & seq. Agit insuper de eo Placidus Puccinellus in Chron. Abbatia Florentinæ pag. 143. Nosque in nostra Bibliotheca Lit.C. Petrus vero Ricordatus unum ex Interloquitoribus Historiæ suæ Monasticæ Chrysostomum constituit, ut videri potest Dial. 1. pag. 4. &c.

CONSTANTINUS ANSALONE Neapoli ortus, ibidemque in D. Severini Cœnobio SSmi P. Benedicti aſſeclis adſcriptus anno 1615. toto vitæ decurſu inculpatiſ moribus, innocentia, ac puritate, virtutumque omnium exemplis Angelos ipsos æmulari viſus est. A ſuscepti namque monaſtici instituti ſemita nunquam deflexit, ſed ea omnia, quæ in Tyrocinio ſemel didicit, ad obi-tum uſque diligentissimè cuſtodivit, illud Regii Psaltis quotidie repetens, *& dixi nunc cœpi;* Obedientiæ præſertim ſervandæ ita ſtu-diosus fuit, ut ſuperiorum juſſa, acfi ipsius Dei ore eſſent prolata, reverenter exciperet, ac veluti innocentis pueri ſimplicitate, abſque contradictione ulla adimpleret;

C Laneas interulas, aliasque vestes ad senium usque propriis ipse manibus lavit; nec hoc solum humilitatis ejus indicium; Monasterii famulos, fratresque laycos interdum rogabat, ut eorum pedes sibi osculari permetterent, nec repulsam sine dolore, ac fletu sustinebat; monasticæ paupertatis observantissimus, pecuniarum nedum usum, sed valorem etiam penitus ignoravit; Christi Domini Passionem, & Deiparam Virginem tenerrimo pietatis sensu prosequebatur; vix enim utriusque nomine auditio, lacrymarum rivulos ex oculis emittebat, idemque dum divinam Majestatem à peccatoribus graviter offendit animadverteret, ei contingebat, Dei proinde immensam bonitatem pro eorumdem conversione jugiter exorabat.

Gregoriani cantus peritissimus, Dei laudes mira suavitate, & elegantia modulabatur, Organa vero dulciter adeo pulsabat, ut audientium corda ad cælestis harmoniæ desiderium, summique Artificis amorem allicerentur; quam etiam artem, sapienter scilicet Deo nostro psallendi, plures adolescentes amantissime docuit. Cum ad senium pervenisset, quatuor ante obitum annis oculorum orbitatem incurrit, nec tamen consuetas vitæ spiritalis exercitationes, & monasticæ observantiæ actus, quoad fieri potuit, umquam omisit, donec ad Beatorum sedes vocatus, terras Cœlo commutavit cum Angelis Dei laudes in æternum modulaturus anno 1659. die 7. Julii, haud levi Sanctitatis famâ relictâ, qua de causa ejus Corpus in veteri Ecclesia peculiari tumulo reconditum suit.

Ex Benedicti Laudati Brevi Chronicō S. Severini MS. pagina 343.

F

I.



RANCISCUS MAURUS A' MILITELLO natione Siculus in Monasterio S. Martini de Scalibus extra Panormum ad D. Benedicti Castra, nomine tamen, ac jure Cænobii Melitellensis transivit an. . . . die . . . , & quandiu in eodem S. Martini Asceterio commoratus est, ab aliis ejusdem Monachis, ea quæ sunt Spiritus Dei percipientibus, *Sicilia Angelus*, nec immerito, vocabatur, nam Angelicis moribus, corporis, animique omnimoda integritate præditus,

Angelicum etiam vultum, blandum videlicet, ac plumi præferebat. Valde juvenis patrio solo relicto Casinum transmigravit, ibique viginti octo, vel eò amplius, annorum spatio, ad obitum usque constantissime permansit, omnibus egregiæ virtutis exempla præbens, nec à Cænobii septis, nisi Abbatis sui jussu, ut Clericum quempiam valetudinarium ad Monasterii prædium aliquod, instaurandi vires gratiâ euntem, comitaretur, pedem umquam effrens. Paupertatis Monasticæ, & ciborum parsimoniae itemque ab esu carnium abstinentia eximius cultor, eas ægrotus tantum, ut Regula permittit, delibavit potius, quam comedit, idque nihilominus Abbatis præcepto adactus, & Medicorum voluntate compulsus: Laneam interulam semper gestavit, quamvis calidæ admodum esset habitudinis. Humilitas autem, virtutum omnium Regina, præcipuò honore ab eo habita, & verbo, & actione semper fuit asserta, nam cum supremi Congregationis nostræ Præsules, insignis ejus probitatis optimè consciî, invitum licet, ac renitentem, Decanum, ac Tyronum Magistrum illum elegissent (quod munus maxima charitate, ac pietate, nec minori adolescentium emolumento, omniumque spirituali utilitate aliquandiu gessit) & ad sublimiores dignitates eum provehere statuissent, ipse enixissimis precibus ab hoc eis consilio revocavit, imo ut aditum ad

altiores gradus sibi præcluderet, Decanatus etiam officio nuncium remisit, & vix Decani merum titulum deinceps retinuit. Ad diurnam, nocturnamque Psalmodiam, reliquaque omnes Monasticas observationes assiduus, communibus regularium onerum legibus, licet vel ætas, vel affecta valetudo id postularet, solvi se numquam permisit. Erat quidem variis scientiis imbutus, linguamque Gallicam apprime callebat, sed ejus præcipuum studium in divinis paginis perscrutandis, moralisque Theologiae Doctrinibus perlegendis versabatur.

F

II. *Quia vero acceptus erat Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret illum.* Angebatur Tob. 12. 13. etenim jugiter scrupulorum angustiis, cum tamen candidam adeo, ac illibatam animam sortitus esset, eamque in obtenta per Baptismum innocentia diligentissime custodiret, ut D. Petrus Martonus à Maranulâ, celeberrimi Theologi, virique doctrinâ, ac virtutē insignis D. Theodori à Maranula, qui Casinensis Cœnobii Prior obiit, germanus Frater, Monachus & ipse pius, ac doctus, Francisci confessionum auditor, saepè testatus sit, nihil se in eo, ut plurimum, absolutione indigens invenire, imò saepè eum cogebat ad divinum sacrificium celebrandum, quacumque scrupulositate deposita. Pertulit semper Vir Dei hanc animi infirmitatem, quæ eum die, noctuque mirè cruciabat, invictâ patientiâ, donec clementissimus Deus, ut cum dilectis suis plerumque aslolet, multos ante obitum dies ab ea penitus eum liberavit. Extrema ejus infirmitas admodum longa fuit, & gravissimis doloribus plena, quos ipse mira æquanimitate, ac fortitudine diuturno adeo tempore toleravit. Denique postquam divinis Sacramentis pluries in ægritudine refectus fuisset, in manus Domini Spiritum suum religiosissime reddidit ætatis anno 56. Domini vero 1711. apud omnes magni Servi Dei constanti famâ reliquit; quapropter ejus corpus in Ecclesia S. Annæ, ubi omnes Casini decedentes Monachi tumulantur, peculiari arcâ reconditum fuit, ejus capiti marmorea lamina supposita, simplici hac inscriptione insignita, *Franciscus à Militello obiit V. Idus Junii A. D. MCCXI.* Statura fuit mediocri, gracilisque constitutionis, sed pulchra facie, pietatem simul, & affabilitatem spirante. Ex relatione Cl. viri D. Erasmi Gattula, mihi Casino transmissa, qui etiam ipse narratorum haud exiguum partem Casini vidi an. 1683., quo à tribus jam annis ibi degebam. Franciscus vero eodem anno 1683. Casinum venerat, & ego circa finem ejusdem anni Romam redii. Vitus etiam Amicus. In supplémentum Rocch. Pyrrham.

FRANCISCUS à Novis: Vide infra in B. Nicolao à Prussia pag. 151. & seq.
n. 4., & 5.

G



ASPAR FELIX ex nobili familia Comitum *de Thedeschis*, Placentiæ natus, ibidem in D. Sixti Monasterio S. Benedicti disciplinam amplexus est anno 1633. die 24. Junii. Expletoque studiorum curriculo, varia Cœnobii munia, præfertim Cellararii, ex obedientia, laudabiliter exercuit. Dnm igitur quadam die ad refectionem ex more cum aliis sedebret, consuetamque mensæ lectionem magnâ mentis attentione auscultaret, tanto divinæ gratiæ illapsu repente commotus est, ut erumpentibus confessim lacrymis, nullo præterea corporali cibo tunc quidem vesci potuerit; Mox à cœnaculo egressus, ad Abbatis pedes fese humiliter prosternens, tum Cellarii, tum Cellæ quoque suæ clavem eidem restituit; abdicatoque etiam Decani officio, arctissimam exinde vitâ

G

rationem colere instituit, quam, Deo adjutore, ad ultimum usque spiritum constantissime perduxit.

II. Ex eo enim tempore solitudini, ac pænitentiæ ita deditus fuit, ut numquam deinceps ex Monasterio pedem extulerit, numquam ipsos etiam propinquos videre, nedum alloqui postea sit passus, sed uni tantum Deo vacans, eique unice adhærens, orationibus, & obsecrationibus die, noctuque semper incubuit. In Cella autem nihil omnino præter paucas Sanctorum imagines, & libros quosdam spirituales, aliquando admisit; Cibum semel in die, eumque admodum parce, capiebat, vini usu sibi penitus interdicto; Ad ignem autem, vel maximo sanguine frigore, numquam accessit, nec rem quamlibet tametsi necessariam, à quoquani postulavit, non enim cum aliquo, dempto Patre Spirituali, qui ejus conscientiam moderabatur, verbum illum amplius fecit, nec oculos à terra ad quempiam aspiciendum amplius levavit, sed triginta quinque, plus minus annorum spatio in extrema paupertate, summa obedientia, rerum omnium mundanarum contemptu, profunda humilitate, ac insigni modestiâ, cordis assiduâ compunctione, sui ipsius abnegatione, corporisque, tamquam infensissimi hostis implacabili odio invictè perseveravit.

III. Obtinuit itaque ab Abbe suo facultatem sese in quadam Cella ab aliis remotâ claudendi. Eam discretus Abbas ita disponi, & aptari jussit, ut ex altera parte januam aliam adhortulum ducentem haberet, quò in eodem relaxandi animi gratiâ posset quandoque ambulare; qua tamen permissione, & commodo nullatenus usus est, sed intra Cellæ septa, quoad vixit, immobilis perststit; ex ea ad templum sacrificaturus, & ad Chorum Deum laudaturus dumtaxat egrediens, quo expleto, ad dilectam solitudinem, *secum in superni Inspectoris oculis habitatus, rectâ revertebatur.* In eamdem vero Cellam præter Abbatem, & Monachum ad ejus curam ab eodem delegatum, nullumquam patebat aditus: quia verò quandoque famulus, cui id erat demandatum, parcum illum cibum ad ejus Cellam deferre, (Deo permittente) obliviscebat, duobus, aut tribus elapsis diebus, cum jam deficere, & inediâ confici inciperet, tunc quidem Cellæ januam aperiebat, quod utique signum erat, vel extremæ cibi necessitatis, vel oborta alicujus infirmitatis.

S. Greg. M.
hoc de S. P.
Benedicto in
Specu Subla-
cens latente,
dicit.

Liverello.

IV. Nec silentio prætereundum, à quacunque pecunię non solum cupiditate, sed etiam usu eum penitus fuisse alienum, licet enim consanguinei, astu quodam adhibito, aliquam nummorum summam, etiam Canonis nomine, ei offerrent, statim illam Vir Dei in terram longe projiciens, nulloque prolato verbo, Cellæ ianuam in eorum conspectu claudens, ipsorum conatus, ac diligentiam eludebat, ac frustrabatur.

Hac mirabili vivendi methodo longo adeo tempore ad ultimum usque senium inviolatè servata, anno tandem 1715. die 18. Febr. acri apoplexia correp-
tus, brevi temporis spatio animam Deo reddidit, & ad sempiterna Gloriæ coronam percipiendam, pænitentiæ videlicet adeo asperæ, ac severæ fru-
ctum in Cœlum evolavit, àtatis suæ anno 80. in ep̄lā encyclica, quæ de
uniuscujusque Monachi obitu ad singula Monasteria mittitur, tali elogio, &
quidem jure, ac merito à D. Cherubino à Parma S. Sixti tunc Abbe hono-
ratus,, Ben' è vero, che sempre è vissuto, qual si deve, per santamente mori-
” Fornito di una profondissima umiltà, accompagnata da una singolare ab-
” bjezione di se stesso, e con un totale invidiabile distaccamento dal mon-
” do, ha per moltissimi anni praticato una volontaria vita tanto aspra, ed
” afflittiva, che il solo ricordarsela fa meraviglia, e stupore &c.. Reliqua
à Monacho Placentino Hip. Pug. ejus Syncrono, viro gravi, ac fide dignis-
simò accepimus .

I. GO-

I. GOMETIUS ULYSSIPONE, Regia Lusitaniæ Urbe, nobilissima stirpe progenitus, in Italiam studiorum causa demigrans, dum in Patavino Gymnasio Cæsareis legibus operam daret, Dei aspirante gratia, & Monachorum S. Justinæ SSñis operibus urgentibus, Monasticam Regulam, sub Ludovico Barbo, observandam suscepit; brevique (ut erat perfectionis Evangelicæ aquirendæ cupidissimus) ex discipulo virtutum Magister evadens, ab eodem Ludovico Prior Claustral is Cœnobii Florentini, licet admodum juvenis, fuit constitutus, & postmodum etiam Abbas creatus; quod Monasterium, summa diligentia, in primisque optimis vitæ exemplis, sobrietate, prudentia pudicitia, benignitate, hospitalitate, & mira in omnes charitate ita reformativit, pluribus, iisque lectissimis Monachis undique congregatis, ut Angelorum potius chorus, quam hominum cœtus domus illa, Rectore Gometio, videretur; Eam siquidem, postquam multo, quo tenebatur, ære alieno liberasset, Cœnobium splendidis ædificiis, Ecclesiam omnis generis suppellebitili ad divinum cultum ornatius peragendum, Bibliothecam melioris notæ libris Græcis, Latinisque locupletavit; cum interim advenis, & peregrinis alimenta, & eleemosinas abunde subministraret, ac insuper viduis, ac pauperibus Civibus alendis, necessaria omnia in menses, & annos suppeditaret, puellis nubendis dotes, captivis redimendis pretium, debitoribus è carceribus liberandis pecunias inde sinenter distribueret. Denique hospitalem domum pro Religiosis, & Ecclesiasticis Viris excipiendis intra Monasterii septa disposuit, ubi eos omni charitatis officio prosequebatur; quæ omnia etsi tam magna, imo si cum nupero Monasterii statu conferas, vix credibilia, immota, constantique in Deum fiducia facillime præstare potuit, *spes enim non confundit.*

II. Nihil dixerim de fæminis illis Deo devotis, ex Pontis Rubacontis angusta nimis, ac periculosa Cella in novum, ac celeberrimum ab eo extructum Cœnobium, quod *Muratarum* appellatum est, media fere in Urbe Florent. Via Gibellina translati: Nihil de tot aliis religiosis domibus, tum intra, tum extra Civitatem in pristinam propriæ cujusque Regulæ observantiam fortiter, ac suaviter restitutis; præsertim S. Birgittæ Cœnobio, mille fere passus extra Florentiam sito, quod vulgo *Il Paradiso* hodieque dicitur, ubi sub Regula D. Augustini Fr̄s., & Sorores, muro tantum interacente tunc degebant; præterea itidem Præsidis Gl̄s. munus apud Sacram Eremum Camaldulensem jussu Bñi. Eugenii IV. Pontificis Max. sanctissimè à Gometio aliquandiù gestum, nam de præclaris hisce, aliisque similibus Gometii facinoribus plura aliàs jam diximus in Bibliotheca scilicet, & in Reformatoribus. Hoc tantum dicam, Gometium, nedum pauperum omnium, sed totius etiam Florentinæ Vrbis amantissimum veluti parentem fuisse; ipse enim, quandiu Florentiæ mansit, omnem operam contulit, ut & privata odia, ac similitates sedaret, & publicas dissensiones, & scandalæ, imo civilia quoque bella penitus extingueret, pacem, & concordiam omnibus restitueret, idque tum piis ad Deum precibus, tum acribus ad Magistratus, populumque cohortationibus persæpe obtinuit, quamobrem cum omnes Virum justum, ac fidelem eum haberent, ejusque monita, ac verba veluti oracula exciperent, Reipublicæ Florentinæ Theologum, & Consultorem eum nuncuparunt, tantumque juris, & Authoritatis ei tribuerunt, ut omnia cuiuslibet Magistratus decreta, & statuta, antequam promulgarentur, prius inspiceret, & expenderet, an justa, & Divinis, humanisque legibus consona viderentur: & ea quidem, quibus Gometii suffragium accessisset, probata censerentur, quibus vero deesset, velut irrita, & inania rescinderentur.

III. Nec

- G** III. Nec tamen intra hos fines virtutum ejus fama sese continuit, Italiam ipsam egressa Lusitaniam totam, unde Gometius exierat, cum foenore impletivit, impulitque Regem Odoardum, ut Gometium, tantum jam virum, precibus, & legationibus ad laudatum Pontificem Eugenium IV. in Patriam revocaret; Prioremque Sanctæ Crucis in Urbe Conimbricensi, ubi olim S. Antonius, Patavinus postea dictus, Canonicorum Regularium S. Augustini institutum professus fuerat, & quò corpora quinque SS. MM. Ord. Minorum Marrochio translata, adhuc jacebant, constitueret. Ibi ac per totum Regnum, dum Cœnobiorum, Cleri, omnisque Ordinis hominum reformationi, verbo, in primisque Sanctissimis Vitæ exemplis feliciter incumbit, tot laborum, totque bonorum operum præmia percepturus, Cœlestè Regnum concendit anno 1442. magna Sanctitatis opinione in terris relicta.
- IV. Ex ejus vita à Thoma Salvetto nobili Florentino, Legum Doctore, & Florentinæ Abbatiae Advocato, jussu Florentinæ Reipublicæ, rogatuque Lusitanæ Regis conscriptâ, quæ manu exarata superest adhuc in Bibliot. laudatæ Abbatiae Florentinæ, ejus autem exemplar etiam apud me. Item ex Arnoldo wine Lign. Vit. lib. 1. cap. 20. pag. 39. Petro Ricordato Hist. Monast. dial. 3. pag. 322. à tergo, & seq. Jacobo Cavaccio Hist. S. Just. Lib. 5. pag. 212. edit. secundæ anni 1696. Placido Puccinello in Chron. Abb. Florent. aliisque.
- I. FR. GREGORIUS è Castro S. Eliæ Casinensis Diæcesis, piis ortus parentibus, ab eisque artem Ferrariam exercere jussus, haud parum in ea profecit; sed cum Evangelicam perfectionem assequi vehementer optaret, Sanctæ conversationis habitum Casini inter Fratres *Commissos* impetravit. Ejus spiritum ex Deo esse, dura, & aspera Monasticae disciplinae, per quæ illi transeundum fuit, patientissime, & alacriter tolerata, satis probarunt. In pristina Ferraria arte ex superiorum præscripto diù insudavit; postea Monasterii possessionem S. Appollinaris vocatam integerrime administravit, sed cum ob Columbini cordis simplicitatem ninime crederet, quamvis monitus, à quibusdam filiis iniquitatis Monasterii triticum fuisse ablatum, quod persuaderi haud posset, Christianum hominem lethalis culpæ labe ob temporale lucrum, inquinari velle, amotus inde tamquam minus idoneus, & in Cœnobium revocatus, lampadibus Ecclesiæ tergendis, ac totius Domus munditiei curandæ perpetuò addicitur, quod onus libentissime, ac diligentissime deinceps subivit.
- II. Ad complura mechanica affabre elaboranda valde idoneus, & aptus, in antedicto S. Eliæ Castro Horologium pulcherrimum singulas horas ter signans miro artificio composuit, cum interim ad levandam laboris molestiam, recreandique animi gratia, quædam carmina identidem pangeret, quibus Ferrariam artem cunctis præstantiorem, utpote ministeriis omnibus pernecessariam, deprædicabat: sed quid hæc ad regulares virtutes, quibus de die in diem, magis magisque affulsit? Primo enim Abbatem suum non secus ac ipsum SSñm. Patriarcham Benedictum, Monachos vero omnes veluti antiquos Ordinis nostri Sanctos demississimo obsequio venerabatur. Silentium inviolabile statutis horis servabat; at cum loquendum erat, sermones suos, Deum semper, & quæ Dei sunt præferentes, Divinæ Scripturæ historiis, & Sanctorum exemplis condiebat; noctu vero Confratres suos panes de more conscientes, Sacra Lectione, ut Casini semper fieri consuevit, & etiam nunc consuescit, ut aliquis hoc officium charitatis adimpleat, sedulo reficiebat; otio perpetuum bellum indixit, cui propterea longe arcendo quidquid temporis à mechanico labore supererat, præsertim festivis diebus, orationi dabat, tum pias precatio[n]es, & meditationes Sanctas ex agiographis codicibus sua ipse manu exscribebat.

At Sa-

G

At Sacratissimum Christi Corpus, qua devotione, quo spiritus fervore, qua de-
nique reverentia percipiebat, paucis narrari non potest; duarum saltem ho-
rarum spatiū, animi adornādo thalamo, pro tanto excipiendo hospite, piarum
precum balsama effundens, ignitorum affectuum thymiamata incendens, in-
sumebat; hocque totum parum illi videbatur præ amoris, & venerationis ma-
gnitudine. Dum in Casinensi Ecclesia Sanctorum Corporum Bñi P. Benedi-
cti, & Sororis Scholasticæ an. 1627, translatio fieret, fama est, ipsum una cum *De quo in-*
Zacharia Fractensi Viro Sanctissimo, audivisse mirabilem organi sonitum nul-*fra.*
lo pulsantis ministerio efformatum.

Tandem post tot exantlatos labores, febri correptus ad extrema devenit, cum-
que in lecto jaceret, & vi morbi conflixtaretur, vehementer à Dœmone ve-
xatus fuit injecta dubitatione de Baptismo rite ne, an inaniter à Parocho sibi
collato ob intentionis defectum, sed Cœlesti illustratus lumine, tetrici Sata-
næ suggestionem fugavit, seque totum divinæ tradidit contemplationi; morti
jam proximus cap. I. Evangelii S. Joannis, *In principio erat verbum*, sibi le-
gendum postulavit, quo pluries repetito animam Deo placidissime reddidit
circa annum 1643, mense Xmbri ætatis suæ anno 60. expleto. Fuit quidem
corporis statura pusillus, sed virtutibus, ac donis Cœlestibus magnus, & quo
humiliiori in statu apud homines constitutus, eo sublimioris meriti apud De-
um declaratus. Ex Cornelii Ceraso Prioris Casinensis Elogiis, quæ de Mo-
nachis, & Commissis Casinensis suis ævi conscripsit, asservatis in Tabulario
Casinensi. Meminit quoque ejus Felix Egger Monachus Petrhusianus Idea
Ord. Hierar. Bened. Libello 2. p.3. dissert. 3. pag. 429.; ubi narrat lauda-
tum Zachariam Ascetam Casinatem vidisse Confratribus sui *Gregorii à S. Elia* ibi
Conversi animam multo Cœlesti lumine circumfusam Cœlum concendere;
quod idem refert Casimirus Vincentius Chranovius Polonus in Vita ejusdem
Zachariæ impressâ Neapoli an. 1678. apud Gramignanum cap. 7. pag. 94.
& seq. ubi etiam ejus virtutes describit; sicut pariter sup. pag. 92. & 93. au-
ditam ab eo Cœlestem Symphoniam in prænarrata Sacrorum pignorum tran-
slatione testatur.



IEREMIAS MARCHESIUS Neapolitanus, ibidem in
Cœnobio S. Severini sæculo vale dixit anno 1651. die 15.
Januarii, ubi postea Decani munus exercuit; Primis post in-
gressam Religionem annis nonnisi communem cum ceteris
Monachis vitam duxit; sed postea peculiari gratia ad subli-
miora à Deo vocatus, arctiorem sibi præscripsit vivendi me-
thodum: non enim solum carnium, imo & Piscium esum si-
bi interdixit, verum etiam tres Hebdomadæ dies pane
dumtaxat, & aqua tolerabat: Tyronum Magister ex obedientia factus, illos
in Dei timore, & Regulæ observantia diligentissime instruxit, & ad Monasti-
cam perfectionem, & proprio exemplo, & acerrimis adhortationibus ferven-
tissimè incitavit, nunquam tamen præ divini honoris zelo, quo æstuabat,
muneri suo ita satis factum ei videbatur, quin de patratis negligentibus per-
petuis scrupulis angeretur; Quamobrem animo perpendens Abbas, Decana-
tus onus Jeremiae ob assiduam spiritus anxietatem, impedimento potius esse
ad ulteriorem profectum, eum illa cura publicè absolvit, & à Decanatu sus-
pensum manere jussit. Tum vero quam altas in ejus corde Humilitas radices
fixisset, palam fuit, genu enim flexo, Deo statim, ejusque in Cœnobio ge-
ren-

H

H

renti vices Abbati gratias plurimas reddidit, qad majorem sibi rebus Cœlestibus, sanctisque meditationibus deinceps vacandi copiam tribuisset.

II. Sed cum Regni Poloniae Dynasta (Palatinos vocant) Carolus Copek, Vir

*De quo su-
pra in An-
gela Sangri-
no.*

piissimus, in Italiam veniens aliquot è nostra Congregatione Monachos postulasset, ut iis Ducibus novam in Polonia Congregationem ad instar Casinensis,

quæ propterea Castro-Casinensis appellanda erat, institueret, inter alios

virtute conspicuos Monachos Jeremias ad eam provinciam obeundam ele-

ctus fuit, ut Tyrone erudiret. Paruit illico Vir Sanctus, nulla vel itinerum,

vel linguæ, vel laborum, quibus defungi necesse erat, difficultate præpedi-

tus. Eò igitur perveniens, voti quod in corde jamdiu gerebat, aspera quaque,

ac dura pro Deo patiendi, affatim compos effectus est : neque enim paucis re-

ferri potest, quot, qualesque ærumnas eum devorare oportuerit, tum ob

aeris inclem tam, tum ob assidua bellorum contra Turcas incommoda,

crebrasque ea de causa migrationes in remotores Provincias, idque ut plu-

rimum pedibus tantum, ac in modum fugæ, inediaque confectum ; Sed in-

victus Jeremiæ animus omnia fortiter sustinens, Deo jugiter gratias agebat,

quod concesserit sibi ea perfere, quæ in Italia degens numquam sperare po-

tuisset. Tot igitur incommodis, & calamitatibus atritus (præter ætatis gra-

vitatem) Sanctimoniae fama clarus, in Lithuania Spiritum Deo reddidit an-

no 1671. ejusque corpus peculiari loco tumulatum fuit. Illius memoriam lite-

ris consignavit Benedictus Laudati in Brevi Chron: S. Severini MS. parte 2. pag.

Ser. Tan. 355. In nostris quoque Regestis *summa pietatis vir appellatur.*

pag. 75. HIERONYMUS ANDRUZZI. Vide infra L. T. in Timotheo Carminati pro-

pe finem.

I. HIERONYMUS ARMINIUS Patria Neapolitanus nobilibus, ac piis pa-

rentibus natus est anno 1559. die 5. Oct. unde in Siciliam demigrans apud S.

Martinum de Scalibus extra Panormum Monasticæ Regulæ sese addixit an. 1574.

die 22. Februarii. Vitam verò suam in Religione ita instituit, ut præter acer-

rimam pænitentiam, & assiduum orandi, ceterasque virtutes exercendi inex-

pleibile studium, nihil præterea curare, aut agere videretur, nam orationem

sæpius ad plures horas toto corpore humili stratus, conformatis in Crucis simi-

litudinem manibus continuabat. Corpus cilicio, Zona, & aculeis ferreis ar-

tus fodientibus, cruentisque flagellationibus, jejunii, ac vigiliis ita crucia-

bat, ut in hostem infensissimum extremo suppicio dignum vix quidquam du-

rius, aut crudelius decerni umquam potuerit, quo subsidio in primisque Bmæ

Virginis Patrocinio Virginitatem perpetuo servavit. Ut autem Deo charus,

& amabilis ita Dæmonibus, in quos mirum exercuit Imperium, valde erat

formidolosus, & terribilis, dictus propterea passim *flagellum Dæmonum.* Ali-

*Scaccia
Diavoli.*

quando cum immundum spiritum Ecclesiasticis exorcismis divexaret, is furo-

percitus alapam Hieronymo inflxit, at vir Dei alteram maxillam ei pro-

tinus percutiendam offerens, hoc patientia, & humilitatis actu Cacodæmo-

nem ab obsesto corpore zbere extemplo coegit. Alio tempore cum Dæmon

ejus præceptis ab homine exeundi pertinacius resisteret, vir Dei ad terram de-

more procumbens, modo, quo supra diximus, non minus viginti quatuor ho-

ris (& alia vice sexdecim) prolixius oravit, donec nefarius spiritus tantâ vi

adauctus, in fugam verteretur. Monasticæ paupertatis, quam semel voverat

observantissimus, supernisque tantummodo bonis inhians, ab omni caduca-

rum rerum, tum honore, tum emolumento semper abhorruit : pingue-

propterea Abbatiam à Francisco Cardinali Sfortia, & conspicuum Episco-

patum à Raynuto Parmensi Duce sibi oblatum, constantissime recusavit.

Gra-

H

Gratiâ curationum insigniter resplenduit, cui Medicus, immodici lucri cupidus, acerbè indignans, Hieronymum colapho, Dæmonem imitatus, atrocibusque contumeliis exceptit: at is veluti injuriæ, quam patiebatur, ipse esset reus, humiliter veniam petiit, & furibundi iram mollissimis verbis frangere pro virili curavit. Ter sibi propinatum venenum inoffense bibt, innumerasque persecutio[n]es, testimonio conscientiæ suæ, Deique in primis ope fretus, victor evasit. Prophetiæ spiritu afflatus, non solum futura multo ante prædictis, sed etiam hominum corda, eorumque abditissimas cogitationes penetrauit; Horum autem tam charismatum, quam virtutum fons, & origo Hieronymo erat flagrantissimus in Deum, & Dominum Jesum amor, præ cuius magnitudine quidquid umquam pro eo ageret, aut sustineret parum aut propemodum nihil reputabat.

II. Cum igitur ejus Sanctitatis fama longe, lateque diffusa jam esset, laudatus Raynutius Parmæ Dux IV. à Clemenre VIII. eum expetivit, ut ejus opera, & consilio in rebus spiritualibus, & ad Dæmonum maleficia avertenda uteretur: Itaque permittente Pontifice Placentiam eum adduxit, & in peculiari domo constituit, ubi duo, & viginti annorum spatio, usque ad obitum, mansit: toto autem hoc tempore ex eadem domo numquam nisi in propinquam Ecclesiam oraturus egressus est. Si quando vero per Urbem, alicujus infirmi visitandi, aut curandi gratia, vel à malo Genio energumenos liberandi, (hoc enim illi singulare donum Deus contulerat) transeundum erat, curru vetustus, & omni ex parte clausus incedebat, ne quid terrenum aspiceret; Erat quidem ei hæc extra Claustra habitatio juge Martyrium, ideoque pluries enixè petiit, ut sibi ad nostrum S. Sixti Cœnobium veniendi, & ibidem manendi facultas tribueretur, sed frustra, votis ejus Principis voluntate obsistente, qui hac de re Præsulum etiam nostrorum nomine requisitus, negavit id umquam se concessurum, ex quo semel à Pont. Max. licentiam illum penes se retinendi pro suis necessitatibus obtinuisse, professus se non minus Hieronymo, quam proprio Genitori debere, cui post Deum vitam, filios, ditionem denique acceptam referret, quamobrem in eadem privatâ domo piissime, uti vixerat, spiritum Deo reddidit anno 1626. die 7. Xybris hora 3. noctis, Sanctitatis fragrantissimo odore. Infirmo, ac morienti adstitit P. D. Clemens Arcelli nobilis Placentinus, S. Sixti Monachus, & Decanus, qui jampridem ejus Confessiones excipiebat, pluresque alii Religiosi homines felici ejus in Cœlum migrationi præsentes adfuerunt.

III. Paulo antequam excederet, humiliter postulavit, ut suum quidem corpus ad S. Sixti Ecclesiam deferretur, sed ad januam pedibus ingredientium proculcandum, tumularetur, utpote indignum communi Monachorum Conditorio, quorum consortium vivus, tandiu extra claustra, quamvis invitus, degens, non meruisset. Delato ad Ecclesiam corpore, tanta ad illud visendum, & venerandum, tamquam viri Sanctitatis fama jam clari, populi multitudine *Vit. cap. 30.* convenit, ut intra facelli clathros illud includi, ne ejus vestes, imo, & membra, nimiæ devotionis gratiâ, discerperentur, necesse fuerit. Ei Vincentius Squaldus vir doctissimus, ac celeberrimus S. Sixtitunc Abbas misericordiam parentalem solemnî ritu celebravit, & Clericus Regularis Theatinus funebrem *De eo in nostra Bibl. pag. 112.* orationem dixit. Parentatione expleta, duo viri nobiles Placentini depositis palliis, sublatoque in humeros feretro Hieronymum ad tumulum deportarunt, qui ad majorem Ecclesiæ januam, ut optaverat, transverso corpore, eorumdem nobilium manibus ei datus est, ibique magna omnium veneratio ne hactenus jacet. In tabulario verò Sacrarii ejusdem S. Sixti extant plurimæ

H testificationes virorum insignium, & testium omni exceptione majorum, præcipuè laudati Clementis Arcelli ejus Confessarii, de innumeris miraculorum prodigiis, meritis Hieronymi Arminii à Deo tum in vita, tum post ejus obitum editis.

IV. Hæc omnia cum olim incertis Authoribus accepisse, ut rem penitus exploratam haberem, de iis consului Rmum. P. D. Josephum de Leonibus nobilem Placentinum, S. Sixti nuper Abbatem, nunc autem, uti spero, & opato, in Cœlis commorantem (obiit enim paulo ante quam hæc scriberemus) virum egregium, & doctum, qui epistola ad me data anno 1727. mense Januarij die 20., & in Analectis referenda, cuncta quæ Hieronymo Arminio Placentiæ evenisse superius narrantur, verissima esse affirmavit. Hieronymi Vitam scripsit Italicè Petrus Antonius Tornamira, ediditque Panormi anno 1674. apud Carolum Adamum in 4., quæ postea à Sacra Indicis Congregatione Lectoribus fuit interdicta; quod quidem Hieronymi Sanctitati minime officit, sed tantum scriptoris in ea exaranda, errorem aliquem indicat. Meminit ejus Gabriel Bucelinus in Benedicto Redivivo ad an. 1626, qui tamen corrigendus est ubi dicit, Hieronymum obiisse eodem anno. 1626. Panormi in S. Martino, cum extra quodcumque dubium Placentiæ diem extremum clauerit, ut supradictum est. Felix quoque Egger in Idea Ord. Hierar. Bened. Libell. 2. pag. 3. dissert. 3. n. 3. pag. 422., & seqq. quem vide.

HIERONYMUS PETRONIUS Fratris Oppido Campaniæ Felicis, nunc Ter. ræ Laboris, nobili familia ortus, Frater Magni Servi Dei Zachariae Petronii, in Casinensi Archisterio Monasticam professionem emisit anno 1592. die 25. Matii; fuitque postea Prior, ac deinde Abbas Titularis, Abbatis scilicet titulo tantum, ac nomine, non vero authoritate, & regimine decoratus. Is in nostris Regestis pag. 235. scribitur in margine *Vir pietate celebris*. A Casimiro vero Chranovio Polono in Vita laudati Zachariae Hieronymi Fratris, edita Neapoli anno 1678.; cap. 1. pag. 3. *Sicuti cum Zacharia Fratre communem Patriam, & genus, ita etiam non disparem Religionem sed communem Sanctitatem & gloriam adeptus*. Obiit an. D. 1636.

I.



ACOBUS GRAFFIUS Capuæ in eadem Campania Felici, nobili stirpe progenitus, Petriquè nomine in Baptismate insignitus, ab ipsis fere incunabulis optimæ indolis cum ad scientias, tum ad pietatem præclara dedit indicia. Vix septennis intempesta nocte è lecto surgens, fundendis Deo precibus diutius incumbebat, latenter quidem, ut ipse existimabat, nam idcirco sese lectuli conopæo circumtegebat, ne à parentibus, qui rem taciti admirabantur, videri posset. Statim atque adolevit, Immaculatam Deiparam impense colere, omnique devotionis affectu prosequi cœpit, jejuniorum, flagellationum, coronarum, (Rosaria dicimus) aliarumque precatiōnū munera assidue, ac libentissime eidem offerens. Adulta jam atate, cum ob insignem utriusque Juri navatam operam, Doctoris Laurea donandus esset, omisso communi aliorum more, Tibicines, & Convivia renuit, sed totam pecunia summam, ad trecentos fere nummos aureos, quæ in hujusmodi symposiis, ac solemnis insumenda erat, honestis puellis dotandis pie, ac religiose dicavit, quod sane egregium facinus Conterraneis suis ad Lauream deinceps assumendis saluberrimo exemplo fuit. Advocati autem munus lucri nullius gratia, sed divina dumtaxat charitate permotus aliquandiū exer-

Anno salut. 1727. Mense

exercuit; quo tempore Sæculo nuncium remittere, & Divino obsequio sese penitus mancipare cum decrevisset, Monasterium S. Severini in Urbe Neapolitana delegit, ubi suavi jugo Benedictinæ Regulæ humiliter colla submisit anno 1571. natus ipse annos viginti duos.

I

II. In Tyrocinio Sodalem, & ex morum similitudine Amicum intimum sortitus est D. Constantiū *De Lanoya* juvenem sanctissimum, pari perfectionis studio, & in Dei Genitricem amore flagrantissimo accensum; cuius quidem amicitia hæ potissimum pactiones fuere, ut quoties alteruter parietem Cellæ intermedium pulsaret, statim genuflexo Bñam Virginem Angelica salutazione venerarentur, & ut in mensa ob ejus honorem à sapidiori bolo abstinerent, reliquum vero cibum, parcum illum quidem, & restrictum, cinere semper aspergerent.

De eo Catalogo Episcoporum.

III. Tyrocinio expleto, non ut plerisque usū evenit, primævi fervoris sensim aliquid remisit, sed potius ea quæ retro sunt obliscens, acsi quotidie cursum inciperet, ire jugiter contendit de virtute in virtutem, ut tandem ad videndum Deum Deorum in Sion posset pertingere. In primis assiduæ orationi tum ore, tum mente die, noctuque ita se addixit, ut plures extra sensus raptus, Cœlestis Patriæ dulcedinem, quantum homini adhuc inter mortales degenti fas est, secundum tamen suam mensuram, prægustare meruerit. Quot vero *Coronas*, quot *Rosaria*, quot parva Officia, præter quotidianum Monasticae Psalmodiæ pensum, præter incruenti Sacrificii celebrationem, totiusque Officii Defunctorum, integri insuper Psalterii cum omnibus Orationibus Dominicalibus recitationem, singulis diebus Deo, Sanctissimæque ejus Genitrici, pluribusque aliis Sanctis, ut acceptissimam Hostiam laudis, offerret, incredibile prorsus videri posset, eo præsertim tempore, quo septem omnino volumina sub prælo habebat, & magni Pænitentiarii, Librorumque Censoris in tota Neapolitana Diæcesi munere fungebatur, nisi ejus Vitæ oculatus Scriptor qui diu ejus confessiones exceptit, testis omni exceptione major Aloysius Carafa, (Sanctus nempe pro Sancto scribens) ex ore ejusdem Graffii de his omnibus, neque enim ipse id antea credere voluit, fidem haud dubiam faceret. Sed quid possibile non sit credenti? quid non facile cum Deo ambulanti? Ad hæc cum media nocte surgeret ad confitendum de more nomini Domini, completa sacra Sinaxi, aliis abeuntibus, ipse in exedra immobilis nocturnas preces, Sanctasque meditationes ad duas integras horas, vel eo amplius, usque ad diluculum cum lacrymis, & gemitibus cordis compunctionem indicantibus, protrahebat, à qua laudabili consuetudine nullis umquam Satanae insidiis, nullis temptationibus dimoveri potuit.

Oratio.

IV. Ex his porro quisquis facile ea, quæ de ejus pænitentia mox dicturi sumus, verissima esse intelliget, quamvis maxima admiratione digna. Toto Tyrocinii anno Divam Catharinam Sanctæ Gertrudis Filiam imitatus, quotidie liquata cera nuda brachia aspergebat, quam statim è cute imo cum ipsa cute vi abstrahens, horrendum in modum ea deformavit, & novo semper recrecente cruciatu, implacabilis suæ carnis hostis afflixit. Triginta prorsus annos super saccum paleis tantum infartum, cum somnum, brevem illum quidem caperet, semper cubavit. Nigro pane, ac pura lympha, raro admodum modico vino admixta, vicitavit, quod cibi genus non ut reliqui solent homines suis manibus ori admovebat, sed toto corpore ad terram prostratus, instar quadrupedum labiis tantum hauriebat, cum alioquin à prima juventa ad ultimam usque ætatem in honorem Bñæ Virginis jejunium cunctis diebus Sabbati solo pane, & aqua celebraret. D. P. Benedicti exemplo, cum ab

*De eo sup.
L. A.**Pænitentia.*

I.

immundo spiritu graviter tentaretur, super urticas, rigidosque sentes nudum se volutavit, eoque heroico actu gloriosum de Satana triumphum duxit; nec eo tamen tutum se reputans, flagellis sapissimè, & acerbissime se cedebat, ciliciumque aspernum, in modum indusii efformatum, scapulas, ac genua tegens quinquennio gestavit, alternis tamen diebus, ne dolor consuetudine leniretur, sed acrius semper revivisceret, illud resumens.

V. Humilitati aquirendæ ac servandæ, utpote virtutum omnium fundamento, ac fonti, curas omnes impendit; ab omni proinde honore, ac dignitate ita semper abhorruit, ut *Decanatum*, qui janua apud nos est dignatum omnium, pro viribus abnueret, nec illum nisi à superioribus coactus unquam admiserit. Abbatis titulum, deferente Paulo V. Pont. Max. in virtutis, ac doctrinæ præmium, cui Librum de Casibus summo Pontifici reservatis obtulerat, invitus recepit, cum regimen, & pastoralem solicitudinem enixe deprecatus fuisset. Res autem suas, Pænitentias, Orationes, Illustrationes, aliaque id genus cautissime occultabat, Salvatoris nostri monitum probe custodiens, *Clauso ostio ora Patrem tuum*; quæ vero de eo scimus, laudato Aloysio Carafa Confessario suo, obedientiâ compulsus, non secus ac illi, qui tormentorum vi delicta confitentur, manifestavit; adeo Graffius Cædoxiam pertimescebat. Nemo illum de quopiam conquerentem audivit, nemo contra aliquem vidit iratum; raro, & urgente dumtaxat necessitate è Monasterio egrediebatur, optime sciens Religionis Spiritum in Claustro aquisitum per urbanas evagationes, & sæcularia commercia sensim remitti, nec fieri posse, ne de mundano pulvere etiam religiosa corda fordescant, ut S. Leo Magnus admonuit, cum alioquin nil magis Monachum deceat, quam solitudo; eam enim ipso vel nomine præfert.

Pauper-
tas.

VI. Paupertatem ut plurimum dilexit, ita probe servavit: In ejus Cella nihil pretiosum, nihil pulchrum vidisses; Decem fere ducatorum centena sibi à piis hominibus oblata, dotandis honestis puellis addixit. Cum ejus lucubrations maximi ab omnibus fierent, & avidissime expeterentur, Bibliopolæ, qui suis typis ea consignabant, multa pecunia, multisque recentiorum Authorum libris pro illis Graffio respondebant, at is nummos quidem pauperibus erogabat, libris vero Monasterii Bibliothecam locupletavit; Ceterum toto Monachatus tempore quinquaginta, vel eo amplius annorum, vix ipse unum aut alterum Carolenum in proprios usus, petita prius tamen ab Abbe suo venia expendit; nihil enim cupiebat in terris, qui omnia adipisci contendebat in Cœlis.

Obedien-
tia.

VII. Ejus quoque Obedientia insignis æque, ac felix fuit. Decanus renunciatus, & Novitorum Magister constitutus, Venetiis in Monasterio S. Georgii plures eosque præstantes discipulos pietate, ac literis egregiè instituit, qui postea Abbates prudentia, doctrina, ac sanctimonia celebres evaserunt; Sacros item Canones variis in locis, ea qua eminebat eruditione, explanavit. Neapolim reversus Cœnobio Sanctorum Renati, & Valerii, apud Surrentum, quod Sancti Severini appendix est, Rectoris titulo præficitur, paruit illico Vir Dei, quamvis subesse longe magis cuperet, quam preeesse; suæque Obedientiæ fructum cumulatissimum statim recepit; Nam in veteri Ecclesia eorumdem Sanctorum, qui olim Surrentinæ Civitatis Episcopi fuerant, Sacra Lipsana invenire, & circum illa, dum propriis manibvs Sepulchra effoderet, arenam auream solus videre, & contrectare meruit, eaque corpora in novum templum solemní pompa, & communi omnium lætitia, & gaudio transfluit, & decentissimè collocavit, non utique sine pluribus, iisque ingenti- bus,

Humili-
tatis.Inanem-
doriam.

bus eodem tempore , tum horum Sanctorum intercessione , tum Jacobi nostri precibus , patratis miraculis , inter quæ puer luminibus orbato , pristina videndi facultas restituta narratur .

I

VIII. At vero ejus patientia qualis , & quam invicta fuerit , paucis referri non potest : Tribus ante obitum annis acerrimis podagræ doloribus conflictatus , Deum semper laudans illi gratias agebat , cruciatus omnes , pro peccatorum expiatione libertissime veluti Sacrificium contriti cordis Domino jugiter offerens . Ingravescente autem morbo , toto fere biennio lecto decumbens , cum ullam in partem sese vertere nequiret , sed immobilis permanere cogeretur , non solum summâ animi fortitudine omnia sustinuit , sed insuper vehemens desiderium majora adhuc patiendi , quod in ejus corde Eucharisticus cibus devotissime ab eo quotidie sumptus accendebat , magis , magisque patefecit , nullis enim neque Medicorum , neque alterius cuiusvis suasionibus aquiescere umquam voluit , ut lineam interulam , aut lineum pileolum sumeret , laneo dimisso , quamvis flagrantissimis febris astuaret . Ad eum sic agrotantem , tamquani ad oraculum sapientiae , & Sanctitatis speculum nobiles , aliquique honesti viri identidem confluebant , quibus monita salutis pro uniuscujusque statu , & conditione præbens , Spirituali consolatione perfusos dimittebat . Paulo ante obitum laudato Aloysio Carafa duo valde notabilia , Confessionis tamen sigillo , quoad viveret , obtegenda , aperuit , quod nempe Virginalem integritatem illibatam servaverit , & quod numquam lethale crimen voluntarie comiserit .

Patientia .

IX. Mortem suam , ac mortis diem , horamque multis diebus ante prædictit ; plura item alia Prophetæ spiritu afflatus prænunciavit ; in iis tumultus , ac turbas , quæ miserum in modum Neapolim , totumque Regnum afflixerunt , & tantum non funditus exciderunt , acsi præsentia essent , conceptis verbis descripsit , cordium etiam occulta penetravit , & quæ clam se à proprio famulo perperam commissa fuerant , illi aperuit . Tandem cum finis ejus peregrinationis appeteret , SS. Ecclesiæ Sacramentis summa cum devotione perceptis , elevatis in Cœlum oculis , Angelicam animam placidissimè in manus Domini tradidit , æternitatis gloria , quæ virtutum , ac bonorum operum merces est , ab eo coronandam anno 1620. die 19. Oct. ætatis suæ circiter septuagesimo ; Corpus in facello SS. Crucifixi peculiari loco reconditum , post annos 3. in veterem Ecclesiam translatum fuit , & sub uno ex ejus altaris collocatum . Cæpitque statim miraculis quampluribus effulgere , præsertim in dissolvendis energumenis , qui impetraturi libertatem à Dæmonum Tyrannide fræquentes ad ejus tumulum confugiebant . Exeuntes autem Dæmones fatebantur , hoc in ipsos imperium à Deo Graffio tributum præmium esse incorruptæ Virginitatis , quam insigni illâ de impura suggestione victoriâ sanguine inter vepres effuso fortiter partâ , tectam sartam servavit . Reliquiæ item tum corporis , tum vestium plures infirmos solo tactu curarunt , in iis morti jam proximum ob pestiferum gutturis morbum , ejus digitus gulæ admotus confessim sanavit . Denique tot , tantaque edita ad ejus tumulum fuerunt miracula , ut ad ea litteris consignanda Viros duos , Monachum unum , Laicum alterum deputari oportuerit , qui numquam è templo discedentes , fide dignorum hominum innumera testimonia excipiebant , una voce dicentium quia vidimus G. testamur mirabilia Dei ; ex his porro efformati sunt Processus miraculorum , G. Gratiarum , quas ad suam , & servi sui Jacobi gloriam operari dignatus est Deus , in tabularios S. Severini asseverati .

Prophetia .

Obitus .

D. Simplius Campana Theologus .

Ex ejus Vita scripta tum ab Aloysio Carafa singulari libello , tum à Jacobo Majori-

Istorica ejus olim discipulo tomo 1. *Rerum memorabilium ad an: 1622. & 1623.*, tum denique ex Brevi Chron. S. Severini à Bened. *Laudati* composto p. 2. pag. 270. Agimus Nos etiam fuisse de eo in nostra Bibl. p. 1. pag. 4 & seqq. ubi ex his ipsis Authoribus plura de ejus Sanctitate narramus, quæ multo consultius fuisset huic loco reservare, quod ideo non fecimus, quia de scribendo hoc ipso Virorum Sanctitate Illustrum Catalogo minime tunc cogitabamus, quod idem in nonnullis aliis nostris Scriptoribus Sanctimoniarum fama celebribus etiam evenit. Ceterum in eadem nostra Bibl. plures alios Authores honorificè de Graffio agentes in medium adducimus.

I. FR. JACOBUS ab Herculaneo, quod Oppidum est Campaniae in ora sinus Neapolitanus vulgo *Torre del Greco* familia de *Magellulis*, parentibus modicis quidem, sed piis, ac Deum timentibus natus est; expletoque vigesimo quinto ætatis anno, cupiens Deo perfectius deservire, inter Fratres Conversos, seu *Commiffos*, ut nos dicimus, apud S. Severinum admitti postulavit, eo prorsus tempore, quo prænarratus Jacobus Graffius ibidem Monachum induit; qui duo Jacobi, veluti duo splendidissima luminaria, Sanctitatis radiis Cœnobium illud, totamque adeò Congreg. illustrarunt, varia tamen vivendi methodo, ac ordine; ut enim in domo Dei mansiones multæ sunt, sic ad eam pertingendi haud una patet via. Graffius præter commune regularis obseruantia pensem, totus fuit in asperrimis poenitentiis, assiduis orationibus, aliisque minime imperatis pietatis operibus exercendis: At Fr. Jacobus nihil umquam singulare, nec duriorem vitam, nisi quam Regula prescribit, sectari voluit, sed ad illam perfectè, & adamussim implendam conatus omnes intendit, hoc nimurum jure confisus Cœleste Regnum se aquisitum, quemadmodum SSinus noster Legislator in fine ejusdem Regulæ illam obseruantibus promittit, *Facientibus hæc, regna patebunt æterna*. Itaque cum alii Religiosi statutis horis cibum sumerent, ipse etiam una cum illis reficiebat; cum jejunarent, & ipse inviolabile servabat Jejunium. Cum silentii tempus esset, ne verbum quidem proferebat, cum loquendi fieret facultas, & ipse quæ opus erant, parce tamen, & circumspectè loquebatur. Cum alii irent dormitum, & ipse in pace cum Xpo quiescebat, cum alii ad Deum laudandum surgerent, & ipse impiger in oratione vigilabat; Ita Gentium Apostolum imitatus, *flebat cum flentibus, gaudebat cum gaudentibus*, omnibus omnia factus, ut se, & alios Xpo lucrifaceret.

II. Omnium autem suorum actuum principium, simulque finem, charitatem erga Deum, & proximum sibi constituit, quæ singulis prope momentis in eo veluti in speculo resulgebat, cuiusque beneficium cumulatissime senserunt quotquot, quacumque de causa ad eum accedebant; neminem enim à se umquam mærentem, aut contristatum dimisit, memini quidquam (quod quidem concedi poterat) denegavit, cunctorum animis plenam consolationem verbo, factoque infundens. Hujus autem summa virtutis specimen egregiè in primis dedit cum triginta prorsus annos Obsonatoris officio functus est, & vinti annos Pistrino, & Cellæ Vinariae præfuit: tunc enim admodum liberali Monachis omnibus in eorum necessitatibus fese exhibuit, quæ illis opus erant, abunde suppeditando, cibos optimos ad Regulæ tamen, & Religionis præscriptum, illis comparando, & in omnibus ad eorum commodum, & utilitatem spectantibus, strenuam diligentiam, & eximum amorem præferendo; cum interim in discutiendis expensarum suarum rationibus, & in negotiis pertractandis admodum solers, sagax, ac prudens esset. Erga pauperes perquam misericors, affatim cunctis eleemosinas erogabat, nec tamen pro-

Charitas.

pinquos suos aliis anteferebat, sed in charitatis officio ceteris omnibus co-
quabat. Ut vero pauperum inopiae citius subveniret, sinum suum panibus
onustum semper gestabat, ut ne uno quidem momento eorum subsidium dif-
ferretur, sed eodem prorsus tempore pauperes quidem os suum, Jacobus ve-
ro manum suam aperiret, ut omnes implerentur benedictione: nam cum
tanta assidue largiretur, panis tamen in ejus manibus augescere videbatur,
& multo minus in ejus, quam in aliorum administratione consumi; eo nimi-
rum retribuente, qui dixit, *date, & dabitur vobis; & qui dat pauperi non
indigebit.*

III. At ejus abstinentia revera mirabilis fuit: omnia fere edulia in manibus
ejus erant; omnia ab eo aliis distribuebantur, ipseque ob quotidianum haud
intermissum labore, fame, ac siti interdiu, nec raro, pulsabatur; & ni-
hilominus gulae suæ semper victor, extra commune cœnaculum nihil umquam
comedit, aut bibit, sed inediā fortiter sustinens, statutis horis una cum
aliis cum gratiarum actione moderate refocillabatur; quod sane martyrii
quoddam genus jure quis dixerit, inter cibos velle esurire, & cum ab aliis
famem depellas, ipse famelicus permanere.

IV. Nec minore laude digna ejus paupertas, quam super aurum, & topation
semper dilexit; Humillimus ac sibi despectus vilibus vestibus induebatur,
mundis tamen, & minime sordidis, D. Bernardi exemplo, cui paupertas semi-
per placuit, sorditas numquam, una dumtaxat tunica, obsoletoque, &
depilato pallio contentus; quamvis autem pecunias sibi creditas in aliorum
usus copiose expenderet; sibi tamen summe parcus, imo potius avarus, in
cella præter vetustam Salvatoris Crucifixi imaginem, nihil prorsus habere
voluit; Hic ejus amor, hæ deliciæ, hoc oblectamentum, huic cor suum, se-
que totum dicaverat, abjecta rerum omnium caducarum cupiditate, quippe
qui *omnia detrimentum fecerat, ut Xptum lucrificaret;* & pro thesauro hoc
unum semper optaret, *nihil habere, & Crucem.*

*Absti-
nentia.*

*Pauper-
tas.*

*S. Greg. Nat.
de S. Basil.*

V. Orandi assiduitas durissimum ejus genibus callum obduxerat, & cum præ mu-
neris sui negotiis genua flectere non posset, stando etiam aut ambulando, aut
mechanicum quodvis opus exercendo, orationem continuabat, semper pro-
inde orariam coronam manibus gestans, ore, ac mente Deum ubique lau-
dans, semper toto corde illi adhærens, semper totis viribus ad illum suspirans,
unde colligas perpetuum bellum otio tamquam infensissimo hosti eum indi-
xisse, ut Daemon semper illum occupatum, suisque propterea tentationi-
bus præclusum aditum semper inveniret; quæ sane cautio plurimum contu-
lit, ad illibatam Virginitatem tota Vita servandam, quemadmodum ejus Con-
fessarii unanimiter testati sunt.

Oratio.

VI. Hinc famâ ejus Sanctitatis longe, lateque propagatâ, Jacobus in omnium
ore, & admiratione erat; omnes tum Monachi, tum Laici eum maxime
venerabantur, omnes tam boni, quam etiam discoli (quod quidem admo-
dum rarum, ac mirum est) eum laudibus efferebant: Nemo illo præsente,
nisi de rebus spiritualibus audebat miscere sermonem; Ipse autem, ut cun-
ctis summam semper reverentiam exhibuit, ita siquid indecorum vidisset,
aut quoquomodo audivisset, corde, & oculis Columbae usus, omnia in bonum
interpretabatur, numquam de aliorum fragilitatibus scandalum sumens. *Ejus San-
titatis o-
pinio.*

Cum intempestivis noctis horis excitabatur, absque ulla mora è lectulo sur-
gens (quamvis senio jam gravis) ad exercitiū sui officinas illico descendebat,
& alacri vultu, & Serena fronte operâ suâ indigentes consolabatur, nihil in-
terim de communibus Fratrum actionibus intermittens, sed ad omnia pri-
mus, ac impiger semper advolans.

*S. simpli-
citas.*

VII. Cum

I VII. Cum igitur adeò acceptus esset Deo , necesse fuit , ut tentatio probaret illum ; assiduis enim laboribus , curisque molestissimis , nedum longæva ætate fractus , duobus ante obitum annis , more Electorum à Deo visitatus , atroci paralyssi conflictari cœpit ; cujus vi lecto decumbens , omniumque membrorum debilitatem patiens , nullam in partem sine alterius adjutorio sese vertere , nec cibum nisi ex aliena manu sumere poterat . Tum vero , si umquam aliàs , ejus patientia maxime enituit . Jacebat quidem corpore , sed corde , ac mente in Cœlum omni tempore elevabatur , ac si unus potius ex Angelicis illis Spiritibus , quam homo esset . Non enim ciborum ulla condimenta , non animorum visitationes appetebat , non de doloribus conquerebatur , non animi perturbationem ullam ostendebat , sed in rerum Cœlestium contemplatione defixus , & ad supernam patriam anhelans , *Deo gratias* jugiter repetebat . Famulo ad ei inserviendum deputato in omnibus morum gerere non detrectabat , imo ab eo multoties , maximè cum opus haberet , derelictus , & quandoque etiam male habitus , & verberatus , omnia constanter perferebat , & tamquam singularia Divini Amoris indicia , hilari , gratoque animo excipiebat .

Patientia.

VIII. Tandem adveniente jam hora paratam sibi justitiæ coronam obtinendi , mirabiliter è lecto se erigens , oculosque , ac manus in Cœlum tendens in hæc verba prorupit , *Benedictus Deus , ac Bma Virgo Maria Mater ejus , qui hac Sacra die (Sabbati) animam meam ad se perducere dignatur* , mox augustinissimo Divinæ Eucharistiæ Sacramento refectus , ac extremâ unctione communitus , nullum sentiens mortis dolorem , placidissime corporis solutus nexibus in Cœlum evolavit , ann. 1619. die 9. Sept. ætatis suæ septuagesimo ; cujus memoria in benedictione est .

Mors .**Mira-
cula .**

IX. Quam vero ejus Vita , atque mors in conspectu Domini pretiosa fuerit , Deus ipse crebris miraculis ad ejus tumulum testatum voluit ; nam cum ejus corpus in communem Monachorum Sarcophagum illatum esset , statim caperunt plures energumeni super illum prostrati à Dæmonum infestatione liberari , ipsique Dæmones magnis clamoribus profiteri , se meritis Fr. Jacobi ad exeundum è corporibus obfessis à Deo compelli ; quamobrem ejus etiam corpus inde extractum sub alio altari è regione illius , ubi corpus Jacobi Graffii repositum erat , collocatum fuit . Itaque isti duo Servi Dei , sicut invita sua se invicem in Domino dilexerant , & plurimum virtutum similitudine inclareruerant , ita & post obitum ipsis in sepulchris sese vicissim honore prosequabantur , & alter alteri velut primas tribuere contendeant ; si quis obfessus , vel infirmus ad Sepulchrum unius sanitatem imploraturus accederet , ad alterum pergere jubebatur , ut postulata assequeretur ; quod idem aliàs celeberrimis Sanctorum evenisse , ut mutuo se honore prævenirent , Dæmoniacos , aliosve ægrotos alter ad alterum curandos mittentibus , in Ecclesiasticis Historiis legimus . Non solum autem particulæ ossium , aut vestium Fr. Jacobi arreptitios , aliosque ægros sanabant , sed etiam pulvis collectus , etiam lateres ex ejus sepulchro auvulsi , & in diversas Regni partes delationum mirabilia solo tactu operabantur ; eapropter utriusque Jacobi Sepulchra ab ingenti multitudine cujusvis generis languentium omni tempore frequentabantur , pluresque sani , & integri domum redibant , & quod multo etiam majus est , plerique corde compuncti , & præterita errata plorantes , animæ etiam sanitatem recuperabant . Fiebat igitur quotidie præter corporum curationem , fidei etiam , pietatis , devotionis , charitatis , ac cunctarum virtutum incrementum , quorum omnium mirabilium veluti testes

Iocupletissimæ plurimæ tabellæ coloribus ea exprimentes circa eorum sepulchra appensa videbantur; sed & omnes, qui illa senserunt, viderunt, vel audierunt, uno ore clamabant, *Mirabilis Deus in Sanctis suis.*

Ex ejus vita MS. à Jacobo Majorica tom. 1. *rerum memorabilium*, & ex *Brevi Chron.* S. Severini à *Bened.* *Laudati* manu exarato part. 2. pag. 258. ex quibus habetur etiam doctrinæ famâ eum fuisse per celebrem, quam à Jacobo Graffio oretenus haussisse crediderim, vel à Deo infusam habuisse, nam status ejus conditio, & munia ab eo in Religione jugiter gesta literarum studiis eum vacare non videntur permettere potuisse, & denique ex Felice Egger Petrhusiano *Idea Ord. Hierarc.* *Bened.* Libell. 2. p. 3. dissert. 3. n. 3. pag. 428., & seq. ubi tamen cum dicit Jacobum ex *nobili Magliolorum familia natum*, deceptum eum fuisse fatendum est, cum laudatus Majorica author coævus, & ocularis diserte afferat, eum *obsciris natalibus secundum saeculi dignitatem exortum*, quod quidem in majorem ejus laudem cedit, qui stirpis ignobilitatem tantæ virtutis splendore illustraverit; *etenim familiae hominum* (ut inquit S. Ambrosius) *splendore generis nobilitantur, animorum Lib. de Noe, autem clarificatur gratia splendore virtutum.* & Arca.

I. JACOBUS MAIORICA Patria Neapolitanus, ex Hispania tamen oriundus, in eodem S. Severini Cœnobio Monasticæ militiae rudimenta posuit anno 1605. Sub Jacobi Graffi disciplinâ educatus, quod felix, faustumque illi fuit, in regulari observantia, & in omni virtute adeò profecit, ut tanto magistro discipulus dignus evaserit. Adhuc puer, antequam Cong. ingredetur, eodem Graffio Confessario utebatur, qui ejus indolem, ac desiderium agnoscens D. Benedicti institutis nomen dandi, illi præcepit, ut totam SS. Mi. Legislatori nostri Regulam memoriae commendaret; quod cum strenue exequutus esset, singulis Sabbatis Regule partem memoriter, & ex ordine ei recitabat. Cui rei simile quid legitur de Sancto Antonino Florentino Archiepō, qui cum puer à Priore FF. Prædicatorum Conventus S. Marci inter eos admissi postulasset, hoc ab eo responsum tulit, ejus se desiderio facturum sat, dummodo intra breve tempus totum Psalterium memoriae probe tradidisset: Sicut ergo Antoninus adimpta ea conditione, voti compos effectus est, ita etiam Majorica, monasticam Regulam, quam adeo studiose didicerat, profiteri meruit, obtento ab ipso Graffio proprio, *Jacobi*, nomine, quod hactenus cuiquam imponi minime passus fuerat; magni sane, ac præcipui erga illum amoris, ac præclaræ de eo conceptæ spei indicium; quamobrem Graffius identidem eidem Majoricæ dicere solebat, neminem se magis diligere, quam *Jacobum*; quamvis Majorica, intra modestiæ fines sese continens, id ex joco à Graffio dici interpretabatur, quasi de semetipso id est Graffio hoc intelligeret.

II. Nec concepta de eo opinio Graffium fefellit: toto enim vita decursu Innocentiam, & Columbinam simplicitatem prudenti tamen zelo Monasticæ disciplinæ promovendæ conjunctam inviolatè retinuit. Ea de causa spiritalis Vitæ colloquia puro, sinceroque mentis intuitu cum sodalibus sæpius miscebat, ut eos ad regularis perfectionis desiderium, & Cœlestis Patriæ amorem inflammaret. Monastica paupertas illi semper summopere cordi fuit, eamque studiose admodum custodivit. Erga ineffabile divinæ Incarnationis mysterium mirè affectus, summam animi pietatem in eo, aliisque nostræ Redemptionis mysteriis jugiter contemplandis, ostendebat. Otium quam diligentissime devitans, reliquum ab oratione tempus, tum historica monumenta ad posteriorum utilitatem literis consignando, tum morales Phi-

Ilosophorum, Sacrasque Patrum Sententias, ad vitam recte instituendam colligendo, pie insumebat; de quibus ejus lucubrationibus fuisus in nostra Bibliotheca, ubi de eo agimus, dictum est.

III. Cum ad ultimam senectutem pervenisset, ad heroicæ patientiæ exercitium gravi à Deo infirmitate, velut aurum in fornace perdiū probatus fuit; nam toto triennio omnium artuum dolore vexatus, nec alio situ, nisi resupinus decumbens, invicto spiritu, & hilari vultu non solum patientissimè cruciatus omnes tolerabat, sed humillimas etiam Creatori grates pro his, aliisque tota vita transactis ærumnis, tamquam amplissimis donis sibi concessis, assidue agebat, illud nimis Apostoli secumanimo reputans, *omne gaudium existimare cum in tentationes varias incideritis*. Quod si aliquando mitiori frueretur hora, ad consuetum lucubrandi studium statim redibat, ne in suis etiam esset infirmitatibus otiosus, ut de Beata quoque Clara Assisinate legimus, quæ cum per infirmitatem ad corporale exercitium surgere non posset, sordorum auxilio levabatur, fulcrisque ad terga appositis, mechanicum aliquod opus conficiebat, ut vel tunc labores manuum suarum manducaret. Tandem intimæ cum Deo, ejusque Divina voluntate unionis exemplum omnibus præbens die 10. Februarii illucescente aurora animam piissimè eidem reddidit anno 1669. Ex brevi Chron. S. Severini MS. Benedicti Laudati pag. 359. partis 2., & ex ipsius met Jacobi Maioricæ Rerum memorabilium tom. 1. ad ann. 1623.

S. **ILLUMINATUS** Picenus Patriam habuit Septempedam, ex cuius ruinis à Gothis, aut Langobardis eversæ, Urbs, quæ nunc *S. Severino* dicitur excrevit. Fuit Monachus Ordinis S. Benedicti in Monasterio S. Mariani Urbis ejusdem, ubi antiqua traditio est, eum Monachis inservisse, & ut Monachus Benedictinus ostenditur antiquitus pictus fuisse, ut etiam demonstrat inscriptio, quam Cancellottus ex manuscripto profert, scilicet *Illuminatus D. Benedicti Monachus vir fuit celebris Sanctitatis, & sepultus in Ecclesia S. Mariani, quæ erat ejus Cœnobium*. Hoc autem Divi Mariani Cœnobium, quod olim pertinebat ad Monachos Benedictinos, nunc appellatur Monasterium S. Catharinæ, & à Monialibus etiam Ordinis S. Benedicti incolitur, ibi corpus ejusdem S. Illuminati adhuc integrum sub Ara Maxima religiose asservabatur, nunc autem in peculiari Sacello novæ Ecclesiæ, ejus nomini dicato, an. 1657. ut refert Jo. Marangonius in *Thesauro Parochorum* tom. II. fol 233. n. 6. de quo laudatus Jo. Baptista Cancellottus San-Severinas Soc. J. lib. 4. Vitæ S. Severini Episcopi Septempedani, rem mirabilem, & mysterio dignam refert, quod scilicet idem Corpus caput suum vertit semper ad dextrum latus aspiciens versus chorum Sanctimonialium, neque potuerit ullo modo in alium situm transferri, hocque in signum amoris, quo è Cœlo ejus beata anima Moniales ibi degentes adhuc prosequitur. Ejus quoque Pallium sapissimè desertur ad Ægrotos, cuius tactu multæ curantur infirmitates, ejusque festum ibidem solemniter agitur V. Idus Maii. Præneste quoque in Latio hujus S. Illuminati quædam Reliquiæ in Ecclesia S. Rosaliæ asservari, nuper accepi. De eo Martyrologium Romanum die undecima mensis Maii. Lucas Wadingus in Additionibus ad primum tomum Annalium Minorum n. 3. Jo. Baptista Cancellottus loc. cit; Philippus Ferrarius de Sanctis Italiae, ubi tamen errat, hunc S. Illuminatum asserens fuisse S. Francisci Assisiensis socium, & Aluminum, quem Ferrarium secutus est Brautius in Martyrol. Poetic. Verum hunc S. Illuminatum Assisi obiisse, atque sepultum fuisse est antiqua Minoritarum traditio, eumque ad quintam Maii refert in Martyrologo

gio Franciscano Arturus; Imo Sanctus Illuminatus Septempedanus, alias omnino est à S. Illuminato Typhernate Eremita, qui in Monte Albano vixit, de quo Bollandus, ac Ferrarius ad diem VIII. Julii. Authores Bollandici Maji tom. 2. ad diem 11. fol. 706. sed quod iidem mirantur, non celebrari hujus S. Illuminati memoriam in Fastis Benedictinis, occasionem nobis dedit, hæc, quæ supradiximus de S. Illuminato, hic referendi, ne ipsi, neque alii deinceps idem exprobrare Monachis jure possint, cum alioquin extra institutum nostrum hoc prorsus sit; nam S. hic Illuminatus annis plurimis ante Casinensem Congregationem floruit, cuius Congregationis Viros Sanctitatis fama Illustres hic enarrando suscepit.

I

I. FRATER JOANNES Genuensis Patria, cum adhuc Juvenis Sæcularis esset, Philippus vocatus, per celebri Abbati D. Aloysio M. de Auria aliquandiū inservivit; sed ex fortuita lectione Vitæ, ac Revelationum Divæ Gertrudis, mox alterius libri Spiritualis, quem Pater Dominicus à Jesu Lusitanus ex Ordine Eremitarum D. Augustini, apud Marocchium in captivitate constitutus, *de laboribus, ac pœnis Salvatoris nostri Jesu* composuit, ad meliorem Vitam capessendam vehementer incitatus fuit; conceptumque propositum de Monasticâ Religione ineunda tunc demum adimplere cœpit, cum paulò post in cadavere juvenis, itemque nobilis, ac nuper pulcherrimæ fœminæ, quod in Ecclesia, pro inferiis postridie celebrandis, noctu expolitum erat, rerum omnium mortaliū caducitatē, & humanæ conditionis miseriam, ac fragilitatem clarius agnoscit.

*Italice de
Taravagli
di Gesù.*

II. Itaque duobus illis supra recensitis libris, quos assidue deinceps pervolutavit, ad Sanctitatis fastigium veluti ducibus, toto conatu contendens, mundoque, & rebus ejus omnibus vale dicens, Conversorum habitum (Commissarios vocamus) in Monasterio S. Mariae de Cæsena, ubi arctior regularis disciplinæ observantia vigebat, enixè postulans, impetravit: Ibi pedem, & cor suum fixit, nec umquam post hac ex illo egredi voluit; sed obedientiæ jugo humiliter se subiiciens, magna spiritus hilaritate viliora quæque Cænobii munia libentissime obivit. Temporis sedulus, ac providus dispensator, viginti, quibus ibidem vixit annis, ne ullo quidem momento otiali visus est. Diem, ejusque horas accurate adeò disponebat, ac partiebatur, ut non solum nihil de sibi demandatis officiis ullatenus præteriret, sed tempus quoque ei suppeteret, quo singulis aliis Monasterii Officinis opportune adesse, ac ministrare, & sodales per amplerem adjuvare posset, consuetam interea, orationem, & spiritualem Lectionem, die, noctuque strenue frequentans; Nam unaquaque nocte supra Commissorum sepulchrum extensis brachiis procumbens, mortem meditabatur: Tribus deinde horis ante SSm Eucharistia Sacramentum brachiis similiter in Crucis formam diductis ferventissime orabat: Denique asperrimis se flagellis cruentans, interimque Salvatoris nostri Labores, & Passionem recolens, noctis vigilias, veluti in terna spatia spiritualis militiæ divisas, Xpti Excubitor, & Vigil impigrè absolvebat.

*In noctibus
extollebat
manus su-
as in San-
cta, & be-
nedicebat
Dominū.*

III. Ex hac porrò adeò insigni in Deum Religione tamquam ex amplissimo fonte, reliquarum virtutum limpidissimi rivuli jugiter emanabant: Eas inter primas obtinebat eximia in proximos, præsertim infirmos, eoque magis morti proximos charitas; his enim solicite admodum præsto erat, eorumque tum corpora utili servitio recreabat, tum etiam animas Sanctorum Patrum dictis, divinæque scripturæ sententiis mirum in modum solabatur, & ad bene moriendum sapientissime comparabat. Humilitatem, mansuetudinem, ac patientiam in cunctis actibus summam præferebat, vultu autem

I lætitiam semper ostendens, intuentes, exhilarabat, & affabili, dulcique colloquio corda demulcens, à vitiis homines retrahebat, & ad virtutem amplectendam acriter incitabat. Ejus vero modestia, abstinentia, & continentia paucis explicari non possunt. Erga Beatissimam Deiparentem, Divas Gertrudem, & Methildem tenerrima pietate præditus, studiosissimum eisdem, ut cuique par est, cultum exhibebat.

IV. Tanto igitur Dei amore succensus, ad eum jaculatoriis precibus, veluti ignitis telis jugiter aspirabat, hanc potissimum gratiam ab eo ardentissime flagitans, ut absque longa infirmitate (ne aliis oneri, ac molestiæ esset,) sibi mori contigeret; nec aliud, præter extremam unctionem, sibi ministrari Sacramentum tunc opus esset. Annuit ejus votis Omnipotens; nam anno 1718. die 1. Novembbris Sanctis omnibus sacrâ, cum pridie, peccatorum confessione præmissa, divinam Eucharistiam, ut ei frequens mos erat, reverentissime sumplisset, è mensa repente surgens, & ad cellam festinans, utque SSma Unctio sibi deferretur semel, & iterum rogans, ac si rei mox futuræ jam esset præscius, in lectulo resupinus sese composuit, supra pectus Crucifixi imaginem, unaque D. Gertrudis, & P. Thomæ à Jesu dilectissimos libros manibus tenens; ibi validissima apoplexia correptus, intra unius horæ spatiū, Sanctæ Unctionis, ut optaverat, Sacramento munitus, placidissimè spiritum Deo reddidit, atatis suæ anno quinquagesimo quarto. Quod idem fere olim contigisse Sancto Cingurino Fratri pariter Converso in Monasterio Floriacensi, qui pridie quam in extremam infirmitatem incideret, licet integrâ valetudine uteretur, conferri sibi Extremæ Unctionis Sacramentum enixis precibus postulavit, præsentiens nimirum, quid sibi posterâ luce eveneturum erat, legimus in Bibliothecâ Floriacen., & in Anno Benedictino Jacobinæ Bouettæ de Blemeur Italicè redditio tom. 5. pagin. 244. ad diem 27. Septembris.

V. Hæc autem quæ de Fr. Jo. narravimus, breviter quidem, & parcè, sed tamen ita, ut satis sit ad ea confirmando, innuuntur in Eplâ Encyclica, de ejus obitu, ad singula Monasteria, ut nostra, de unoquoque Congregationis defuncto, fert consuetudo, transmissa, his prorsus verbis,, Il giorno però antecedente fece la SSma Communione, come era solito, per sempre più profittarsi nello stato Religioso, in cui con molta edificazione anche de secolari, si valeva del tempo per impiegarlo nell'adoratione del SSmo Sacramento: Questi, ed altri divoti esercitij me lo fanno sperare a godere la Patria celeste: &c. , reliqua à Monacho omni fide digno Hip. Pug., qui eodem tempore Cæsenæ vixit, & Fr. Joannis acta omnia, & consilia intimè novit audivimus.

INNOCENTIUS patria Novariensis, Florentiæ in Cænobia S. Mariæ Monachis nostris adscriptus est anno 1506. die 7. Junij: Fuit autem sicut nomine, ita etiam vitâ, ac moribus prorsus innocentissimus: Nam in primis profundam humilitatem, & sui ipsius contemptum, quæ magnorum virtus est, in omnibus suis actibus ad omnium admirationem, & imitationem semper præsetulit; carnis vero macerationem jejuniis, ac vigiliis indesinenter prosequutus est. Adhuc enim juvenis integras sœpe noctes, orationi, ac studiis intentus ducebat insomnes; Senex vero non raro ad nocturnam Sinaxim certos præveniebat: Videbatur sane vultu, ipsoque incessu subasperam quandam gravitatem, & antiquum disciplinæ Monasticæ rigorem, & severitatem redolere; sed qui propriùs accedentes, familiariter Viro utebantur, miram in eo dulcedinem, benignitatem, ac modestiam comperiebant. Floruit quidem nobis

nobiliorum scientiarum intima peritia, sed earum omnium gloriam Scientia Sanctorum longe superavit. Hujus, aliarumque virtutum merito creatus Abbas, viginti ferme annorum spatio præcipua Monasteria, tum quæ in Sicilia, tum quæ in Italia habemus, Ravennatense, Prataleense, Florentinum, Casinense, totam insuper Congregationem Visitatoris primùm, Præsidis deinde munere prudentissimè gubernavit: quo tempore duo valde memorabilia, summaque laude digna facinora patravit. Primum Florentiæ, ubi una cum Seren: Eleonora Toletana M. Etruria Ducissa, cui erat in paucis charus, omnem lapidem movit, ut Patres Soc. Jesu in eam Urbem admitterentur, quod feliciter contigit anno 1551. Alterum Casini, ubi jus, atque officium civiles causas cognoscendi, ac judicandi in Civitate Sancti Germani, quod Abbates Commendarii cuidam San Germanensi olim concederant, ejusdem Sacri Cœnobij Archimandritæ postliminio restituendum curavit anno 1554. Cum universæ Congregationi, ne dum singularibus Cœnobiis non minus emolumenti quam decoris magis, magisque in dies attulisset, ad cœlestem Patriam Vitæ, ac mortis justissimus Arbiter Venetiis apud S. Georgium, majorem illumi transtulit anno 1557. cum ibidem Abbas tunc esset.

*Mortuo enim
ante majora
Comitia D.
Laur. Zam-
pelli à Man-
tua Præside,
Innocentius
utpote pri-
mus Visita-
tor, ut no-
stræ jubent
Constitutio-
nes, in ea
dignitate
successit.*

Ex Necrologio Monachorum Abbatiae Florentinæ pag. 26., & seq. Ex Arnoldo wine Lign. Vit. L. 1. cap. 16. pag. 30. num. 15. Marco Antonio Scip. in Elog. Abb. Cas. pag. 168., & seq. primæ edit: Neapol. an. 1630. Placido Puccinello in Chron. Abb. Florent. pag. 84., & seq. iterumque in App. Histor. de Vir. Illibüs ejusdem Abb. Florent. pag. 26. denique ex Lazaro Aug. Cotta in Museo Novariensi pag. 307. ubi tamen mendum est in Epochâ ejus obitus, qui ibi anno 1549. assignatur, cum omnes alii laudati Authores anno 1557. eum contigisse affirment.

„ JOANNES BAPTISTA à Brixia Monachus olim, & Decanus Cœnobii Sanctorum Faustini, & Iovitæ, Abbas postea Castro-Casinensis (in Polonia) de quo oculatus testis Polonus scribit, quod puerum ad Vitam revocavit. Corporis ergastulum reliquit anno 1679. Ejus vestimenta asservantur usque hodie pro Sacrarum Reliquiarum thesauro Brixie in Professionis ejusdem Cœnobio, in quo, totaque Urbe, & Provincia celebris admodum est ejus memoria. „ Ita prorsus, ac totidem verbis Felix Egger Petrhusianus Idea Ord. Hierarch Bened. Libello 2. par. 3. dissert. 3. n. 3. pag. 413., & seq.

*Alias in
Horodysset.*

Sed quod Egger afferit de vestium ejus custodia in Monasterio suæ Professionis, minime verum esse, accepi nuper ab amico meo Monacho nostræ Congregationis docto, ac diligenti Brixie in S. Euphemia commorante, qui de hac, aliisque rebus, ad Joannem Baptistam spectantibus à me requisitus, epistolâ ad me data die 14. Octob. an. 1728. respondit, numquam ejus vestes è Polonia Brixiam fuisse allatas, aut ibidem extare, sed potius opinari se (nec sane longe à verosimili) pro Coenobio depositionis, Monasterium Professionis ab Egger positum fuisse. Ceterum addit idem amicus, Io. Baptistam prodidisse ex nobili, & perantiqua familia Federici, quæ in Valle Camonica agri Brixiani insigni portione, etiam nunc admodum floret: Doctrinâ æque, ac probitate eximiâ Parochi officio, antequam in Polonię proficeretur, in Monasterio SS. Faustini, & Iovitæ perfunctum, ejusque apud Brixenses memoriam adhuc esse in Benedictione; apud Monachos vero nostros, novum Monastici Ordinis Instauratorem in Polonia, & absolutissimum Sanctimoniaz exemplar eum passim audire, qui SS. Patriarchæ nostri Benedicti gloriam, & decus, verbis, ac factis egregie tutatus, virtutesque imitatus sit; ejus vero Monasticam Professionem anno 1646., die 30. Nov. contigisse; Tyrocinium pos-

fuisse

I suisse Tyrocinium Venetiis in S. Georgio majore . Obiisse àtatis anno 47., ut ex epistola encyclica de ejus obitu e Polonia missa , in qua etiam afferbatur , ad ejus Sepulchrum plura miracula evenisse .

I. JOANNIS BAPTISTÆ NANI Patritii Veneti D. Georgii majoris Venetiarum alumni , Sanctitatis opinione clarissimi , Vita , ac virtutes hic mihi breviter , (ut soleo) describenda forent , sed cum Vitæ ejus Elogium à Marco Antonio Scipione Monacho ex nostris , celeberrimo , ac elegantissimo Elogiaste , qui ejus Confessiones Placentiæ biennio excepit , eique morienti adstitit , exaratum sit , & à Gabriele Bucelino (tanto viro) cui illud Scipio communicavit , integrum , ipsisque ejusdem verbis publici juris factum in Benedicto Redivivo ad an. 1633. pag. 238 , non abs re me facturum existimo , si illud ipsum huc ego quoque prorsus immutatum transtulero , cum Nani res gestas melius , ac utilius à me describi posse , vere , ac ingenue , diffitear; ita ergo Scipio .

Joannes Baptista Nanus. I. Adolescens pietatem , humanioresque disciplinas in Seminario Romano edoctus est ; Rei maritimæ postmodum , Venetæ nobilitatis instituto , aliquando operam navavit ; tum Parisiis biennio , mox triennio Madriti cum Reipublicæ ad eos Reges Oratoribus exacto , non vulgarem ex Aulis , & diversarum gentium consuetudine usum , ac prudentiam collegit . E' Galliis ejus. „ Belgium , & Germaniam , ex Hispania Lusitaniam omnem , animi gratiâ , peragravit . Venetias regressus alia ex aliis munera publico bono ad annum Ejus in Rep. mu- „ àtatis trigesimum sextum prudenter administravit ; Quo tempore introspe- nera. „ ciat , inanissima vanitate , animum honoribus , ac saeculo multam salutem dicere , ne suæ saluti dicere cogeretur , induxit .

Fit Mo- nachus. II. Ergo ad S. Georgii majoris Venetiarum Monasticen professus , ex D. Benachus. „ nedicti Placitis omnem Cœnobii disciplinam , & minutissimos quosque ritus , cujusvis prærogativæ , & immunitatis colorem fugitans , strenue sectabatur .

Anno 1915. „ In obeundis humilioribus obsequiis promptus , & alacer , non erubuit inter Animi de-“ juniores socios , homo id àtatis , à Veneta nobilitate , gravissimisque Senato- missio. „ ribus videri publicè , dum eas functiones exerceret , quæ primo ad Religionem ingressu , Tyronibus committi solent , utpote leviores , & puerilibus annis , atque imbecillitati magis accommodata : Noverat enim Xpiæ Philoso- phiaæ præcepta in religioso Liceo addiscere volenti , cum cetera faculi per- versa dogmata , tum verò in primis præposteriori recti verecundiam dedi- cendam esse , maximumque adultæ sapientiæ argumentum , repuerascere in Repnera-“ Christi gratiam , ac despere .

scere San- Etum. III. Absoluto Tyrocinio , laxius vivendi opportunitatem , ad arctiorem insi-“ tuti custodiani traduxit , haud ignarus , illiberalē eos , ac miseram servi-“ tutem in Claustris servire , qui se in libertatem , quam libere Numini addi-“ xerint , denuò conentur afferere : contra verò honestissimam esse , ac jucun-“ dissimam eorum conditionem , qui semel ultrò admissa votorum vincula stu-

Ejus cura in votorū observa-“ diosissime præcavent , ne dissolvantur , neve tempore procedente , minus fir-“ ma evadant , & laxiora . Intra cellulam , quam diutissime latebat , studio-“ sus silentii cultor , & sicuti amans continebat se , non desidiæ , & otio ,“ sed rerum divinarum contemplationi , lectioni sacræ , ac studiis litterarum tione. „ perpetuo vacans . Imbecilli , ac fracta valetudine cum uteretur , & jugi ,“ ac molestâ pituitâ laboraret , crebrâ deambulatione effætum corpus recrea-“ bat , loco tamen , quam poterat , remotissimo , ne cui molestiæ , vel impe-“ contempla-“ dimento esset , tum etiam ut secum ipse multo præstantioris Philosophiæ exer-“ citationis . „ citationi , quam Peripatetici olim deambulando , insisteret .

IV. Die

IV. Die, noctuque divinis laudibus celebrandis intererat semper, quo in genere piam esse animi alacritatem, & inflamatum studium testabatur, inter primos accessus ad Chorum, inter novissimos recessus. In exteriore totius corporis membrorum habitu ad eximiam religiosæ modestiæ speciem conformato, interior animi tranquillitas, & pulchritudo elucebant. Maces, ac pallor vultus, quos inedia, vigilia, ac ceteræ Vita rigidioris incommoditates, non parum indulgentis naturæ severitas invexerant, plurimum illi venerationis, ac reverentia conciliabant, nec vulgarem pietatis sensum afflabant intuentibus.

V. Ne firmissimo ad omnem virtutem, & sanctimoniam præsidio, bonorum que omnium copiosissimo fonte seipsum propriâ socordiâ fraudaret, Missam quotidie faciebat, præclaram inter litandum religiosi animi significationem præferens. Ad Aram nisi vocis, ac mentis precatione, diù, attenteque meditatus non accedebat: qui sciret, quanto nos ipsi studio, animique puritate ad divinissima mysteria comparaverimus, tantumdem ex iis solere in nos utilitatis, ac fructus derivari; Ab omni fastu, ac jaetantiâ prorsus abhorrens, de se ipso, generis, ac Patriæ splendore, muneribus in Republica gestis, Nationum, quas vidisset varietate, ac moribus, Regum aulis, in quibus diù commoratus fuisset, numquam loquebatur, nisi ab aliis interrogatus, idque etiam perparcè, ac pæne invitus.

VI. Magistratus vero, ac dignitates in Religione, tantum aberat, ut quæret, ambiretque, ut nihil accuratius fugeret, nihil pertimesceret vehementius, in humili, ac laborioso privata Vitæ statu sub obedientia jucundissime conquiescens; ut mihi verè videar posse affirmare, mortem illi tum alias ob causas, tum ob eam præsertim jucundissimam fuisse, quod nullis dum Monasticæ disciplinæ præfecturis functus, vitæ cursu peropportunè fungeretur; Id vero Christianæ demissionis sublimitati, non abjectioris animi diffidentiæ, ac languori adscribendum esse argumento sunt, in quotidianis ministeriis, quæ illi demandabantur, mira in obeundo sedulitas, ac prudentia; sed quo studio altiores gradus, ac speciosiora munera declinabat, eodem vulgarium Sedulius in functionum occupationes, ac abjectiora ministeria sectabatur.

VII. Trium votorum, quæ in religiosa Professione nuncupaverat, diligenter simum custodem se præsttit, nam integritatis, ac pudicitiae studium, & cum singularem, sommi breves, productæ vigiliæ, parcior cibatus, & perpetuum ferme jejunium, multa frigoris, & æstus perpessio, castissimi ser- mones, otii fuga, vel eo tacente disertissimè omnibus pervulgabant: Paupertatem vero ita colebat, ut ejus duritiem, & incommoda videretur habere in deliciis. Omni superfluitate resecta, res omnes ad vitæ usuram necessarias ita usurpabat, ut illud ex Règula secum repetens (*Monachus omni extremitate contentus sit*) vetustiora novis, deteriora melioribus præferret.

Hinc cubiculum non alio peristromate, quam religiosæ nuditatis ornatum stabilere: Hinc habitus decens, non elegans, tenuis, non sordidus: Hinc in libris, & reliqua suppellectile nihil exquisitè cultum, aut comptum: nulla curiositas, nulla sæculum redolens, inanemque virtutis animum contentans accurior concinnitas visebatur: Si quos in Cœnobii aspiceret complices, eorum vicem, & imprudentiam vehementer admirari solebat, ac dolere, quippe qui castissimam religiosi amictus speciem profano cultu corruptentes, non sine gravi totius Ordinis injuria, & dedecore, ipsis etiam profanis hominibus, vel mediocri, seu probitate, seu prudentia præditis, ultro se ipsi vanissima ostentatione irridendos propinarent, eademque arte, atque

I
Chori labor Deo gratius.

In Missa celebranda assiduus.

Ab omnifastu alienus.

Prophana abhorret loqui.

Mors illi jucundissima.

Sedulus in demandatis.

Vitæ integratas.

Pænitentia.

Pauperitas.

atque

I „ atque industria , existimationis, ac famæ jacturam facerent , qua inanem glo-
 „ riolam , & nominis celebritatem aucupari conarentur . Nam sicuti Monastici
 „ vestitus honestissima simplicitas Regibus olim in pretio , & admiratione fuit ,
 „ ita nunc sacrarum vestium decorem adsciatitii nitoris , & elegantia fuso conta-
 „ minatum ipsi etiam vulgo , & infimæ plebeculae deridiculo esse conspicimus ,
In Apolog: „ ac contemptui : Siquidem mollia indumenta (ex D. Bernardi verissimo sen-
ad Guliel: „ su) animi mollietatem indicant , & vanum cor vanitatis notam ingerit corpo-
Abbatem. „ ri ; nec tanto studio corporis cultus curaretur , nisi mens prius neglecta , fuis-
Ibidem. „ set inulta virtutibus (ut in hæc tempora nimium ex vero cadere videmus
 „ illud ejusdem Doctoris, *Jam religionis antiquæ non solum virtutem amisimus ,*
 „ *sed nec speciem retinemus , habitus noster , qui humilitatis esse solebat insigne ,*
 „ *à Monachis nostri temporis in signum gestatur superbia .*)

VIII. Pecunia vero usum ita oderat , ut ab ejus etiam contrectatione , & af-
Memora- „ pectu vehementer abhorret ; nec nummos apud se , quamvis per exiguo
bile exem- „ numero , vel tempore , nec in itinere constitutus residere patiebatur . Ve-
plum. „ netiis in D. Georgii sodalitio , quamvis ad religiosos usus quoscumque om-
Nihil ul- „ nia sibi ab Coenobii Æconomis prolixissime polliceri posset ; nihil tamen ul-
tra neceſ- „ tra necessitatem quæsivit umquam , vel admisit . Sub religiosam Professio-
**nem præter insignem pecunia vim in præsens numeratam , annuos scutatos
Obedien- „ biscentum Sacrario de paterna hæreditate legaverat ; de hac ille numinorum
titatem. „ summa , tantum abest , ut in veste , libros , aliasve hujusmodi res quidpiam
Paupertas „ suo nomine expendi curaverit , ut ne præsens quidem esse , cum per Agnatos
vera pau- IX. At vero Obedientia , virtutum omnium parens , ac custos præcipua soli-
pertas hec „ citudine culta semper ab eo est , privatis studiis , tametsi pietatis specie , &
est. „ spiritualis profectus lenocinio blandirentur , promptissimo animo prælata ;
Obedien- „ quo etiam fiebat , ut Vitæ communis , & disciplinæ sectator acerrimus con-
titę virtus. „ ventus publicos perpetuò frequentaret , indictaque omnibus functiones flu-
Abstinen- „ diosissime amplecteretur . A suscepta Religione ad extremum usque ætatis an-
tia. „ num carnium esu , nisi gravi morbo implicitus decumberet in lecto , absti-
 „ nuit semper , quo difficilius factu videbatur illi persuadere , ut stomacho in-
 „ pejus quotidie prolabenti consulturus , carnes esitaret , tum ipsomet sto-
 „ macho reclamante , qui meliores cibos magis aspernaretur , ac respueret ,
 „ tum animi decreto protractam ad illud tempus vivendi rationem , nisi peri-
 „ culosa ægritudo intercederet , ad obitum usque mordicus retinendi . Nihil
EjusCon- „ lominus admonenti mihi , (quem vitæ suæ moderatorem esse voluerat) ut
fessarius. „ solidioribus escis confirmandæ virium imbecillitati paulatim assueceret ,
 „ nihil contra in excusationem prætexens , promptissimo animo obsequentem
 „ se præstitit . Si quando Superioris ob tenuem hominis constitutionem , &
 „ proiectiores annos , in publica Cœnobii munera distributione ; quæ paulò
 „ laborosiora , atque humiliora putantur , immunem illum reliquissent , fer-
 „ re non poterat , ceteris in opere versantibus , nullum sibi onus soluto , ac
Vilissima „ libero ferendum esse ; nec quiescebat quoad modestissimis precibus impetrata-
expedit. „ ta beneficij loco ministerii cujuspam exercitatione , laboris immunitatem
 „ illam à se deprecaretur .**

X. Agebat jam annum quinquagesimum , vitæ Monasticæ quartum decimum ,
Extrema- „ cum lethali febri correptus est . Toto ægritudinis tempore nulla vox in per-
infirmi- „ ferendo morbo , admittendisque medicamentis perturbati animi vestigium ,
tas. „ nulla productioris vitæ cupiditatem , nulla propinquantis mortis horrorem ,
 „ vel metum præferens audita , lamentationes nullæ , nulli quæstus , sed
 „ æqui-

„ æquitas animi, moderatioque summa, & admirabilis quædam in omnibus cum
 „ divina voluntate conformatio: Aliquot ante mensibus, quam supremum ægro-
 „ taret, audivi ex eo, cum diceret, arbitrari se, fore, ut quam primum disce-
 „ deret è vita, quippe qui vires quotidie prolabi, & notabilem in modum de-
 „ ficerent, & suæ stirpis nonnullos laborantes itidem ex stomacho, bre-
 „ vioris ævi fuisse recordaretur.

XI. At vero cum gravius decumbenti in lecto semel assiderem, meus Frater
 „ (inquit) hoc eodem invaletudinis genere conflictatus, annosque totidem
 „ natus, quot ego nunc, naturæ concessit; significans quæ antea mecum de vi-
 „ cina morte commemorasset, ea in præsens certissimo rei eventu comprobari.
 „ Demum tertio decimo ægritudinis die, susceptis eximia pietatis specie salu-
 „ taribus Sacramentis, ingravescentis morbi vehementia succumbens, animam
 „ placidissimè exhalavit anno 1633. die 25. Februarii. Omnium animos, qui ade-
 „ rant gravis religiosâ permixtus jucunditate mæror invasit, eo sublato, cuius
 „ ad superos felici demigratione [ut spes est] ita congaudebant, ut charissimi
 „ interim sodalis religiosissimo convictu, & castissimæ disciplinæ documentis
 „ orbatos se, ac destitutos ferrent ægerrimè.

XII. Praeclara Jo:Baptistæ virtus, ac probitas per omnem sodalitatem nostram
 „ evulgata, celebre illi nomen, ingentemque apud omnes venerationem com-
 „ paravit; hæretque in animis omnium ea penitus infixa opinio, inter Casinen-
 „ sis Congregationis alumnos, qui multis ab hinc annis Vitæ Sanctioris titulo
 „ maximè illustres memorantur, Joanni Baptista Nano haud ignobilem locum
 „ merito ab omnibus assignari. Decessit Placentiæ in D. Sixti Monasterio, ubi
 „ alterum jam annum ex animi sententia traducebat, vicissim ipse toti sodali-
 „ tati acceptissimus. Defuncti cineres, & ossa peculiari tumulo Placentini Pa-
 „ tres concluserunt, quo aptius peculiarem in ipsum amorem, atque observan-
 „ tiæ testarentur. „

Hæc Scipio apud Bucelinum At Patres Soc: Jesu, Seminarii Romani virtute II-
 „ lustrioribus Alumnis, Joannem Baptistam Nanum adscripserunt, magnæ aulae
 „ ejusdem Seminarii, ipsum referente appensa tabella, tali addito Elogio.
 „ Joannes Baptista Nanus Patritius Venetus S.R.Convictor anno 1601. plurium
 „ legationum ad Reges onus Gigas primum suscipit; deinde S. Benedicti Mo-
 „ nachus deponit, ut Cœlum tollat, quod contigit, dum ad Jubilæum conflu-
 „ tes peregrinos excipiens, in Monte Casinensi peregrinari desiit interris an-
 „ no 1633. die 25. Febr. „

Verum Placentiæ, non Casini Nanum obiisse, ibique adhuc quiescere, quam-
 „ vis certo certius ex nuper allato Scipionis Elogio exploratum sit, illud ta-
 „ men novissimè etiam accepi à Reverendissimo Patre D. Josepho de Leonibus
 „ Abate Placentino qui Epistola ad me data 20. Jan: 1727. hac de re sic fatur.
 „ Intorno poi al Præ Nani, del quale pure me ne fa istanza, le dico, che il
 „ suo Corpo è in luogo distinto dagli altri tutti, è giace nella Capella de SS.
 „ MM: Sinforiano, Marcello, ed Apulejo, senza però alcuno esterno ornato,
 „ e contrassegno. Questo fu singolare per la sua vita Santa, ed osservanza ina-
 „ puntabile*; Si vestì d'anni 36, è di 50. morì nel 1634.* a' 25. Febraro; da Gio-
 „ vine fu costì in Collegio nel Seminario Romano. Tornato alla Patria sua Ve-
 „ nezia, studiò di Nautica; poi per due anni dimorò in Parigi, e per trè in Spa-
 „ gna in qualità d'Ambasciatore à quelle due Corone della Veneta Republica.
 „ Era Professo di S. Giorgio Maggiore, e noi habbiamo il contento di averne il
 „ suo Corpo. „ Ejus etiam Vitam descripsit D. Cornelius à Venetiis Abbas S. Geor-
 „ gii M. Venetiarum, qui creditur esse Cornelius Codaninus, de quo Nos in no-
 „ stra

I

Resigna-
tio mētis.Mors fe-
lix.Magna
Viri æsti-
matio.Quanti-
factus.Peregri-
nos.1633.
Romæ.

I

stra Bibliotheca Lit.C. parte prima pag. 139. Author item Anonymus eadem Vitam Nani contexuit , verbis dumtaxat, non re à Corneliana diversam; Quæ duæ Vitæ reperiuntur manu exaratae in *Historia Monastica* D. Hjeronymi à Potentia (de quo pariter prima parte pag. 219.) non utique ab eodem Hjeronymo, sed ab aliquo juniore , nam Hjeronymus obiit an. 1610. *Nanus* autem an. 1618. cucullo induitus , an. 1633. ad superos evolavit, Cornelius verò an. 1622. Monachus factus , an. 1685. in Cœlum migravit.

I. JOANNES BENEDICTUS CITELLUS, vel Zitellus à Cava , in Monasterio SSmæ Trinitatis apud eadem Civitatem institutum nostrum amplexus est anno 1602. die 28. Octobris , quod innocentis vitæ perpetuo tenore , & regularium virtutum præclaris exemplis , haud parum illustravit : Ab infancia siquidem ad obitum usque corpus , animumque ita immaculatum , purumque custodivit , ut ex ipso veluti Matris utero Sanctus prodiisse videri posset . Regulæ arctiorem observantiam, quam semel in Tyrocinio didicerat, quacumque secus faciendi cautè vitata occasione , numquam remisit , sed invictâ constantiâ de die in diem vota sua domino cumulatissime reddidit.

Innocen-**Pauper-****Oratione****de Laud.****Basilii.****Charitas.****Obedien-****Mors.**

II. De paupertate spiritus cū antiquissimis illis Anachoretis certavit. In vestibus, in lectulo , & in qualibet alia re , vix ad vitam necessaria usurpabat ; idem enim cingulum coriaceum , quo tunicam constringebat , eandemque ferream furcillam , qua cibos ori admovebat , quadraginta omnino annos immutatam retinuit . In Cella autem præter Crucifixi imaginem nil nisi nuditas , & egestas apparebant , ut de eo pariter quod olim Nazianzenus de M. Basilio , dici posset , *Divitiæ illi nihil habere , & Crux.*

III. Quantum autem erga se ipsum rigidus , & parcus , tantumdem erga alios , præsertim pauperes , liberalis , & misericors , quorum inopia , ut subveniret , propriis vestibus interdum se ipsum exuit , & appositis in mensa dapibus , ut eos reficeret , sape sèpius abstinuit , quo uno , eodemque continentia actu , & suam in proximum charitatem , & de castimonia relatam victoriam ostendit ; quotquot igitur ad eum accederent , benignè excipiens , mirum in modum solabatur , omnes pro viribus adjuvabat , neminem à se marentem discedere patiebatur . Salutis animarum zelo astuans , divini verbi prædicatione , & spiritualibus colloquiis , veluti mater amantissima filios , eas aletre satagebat , in quem etiam finem piissimos aliquot libellos , devotissimas , ignitasque precationes continentes edidit , vulgavitque , ut omnes ad summi Dei , & patientis Salvatoris , ejusque SSmæ Genitricis jugem amorem , ac venerationem inflammaret .

IV. Nihil tamen sine jussione , aut permisso Abbatis sui aggredi solitus , obediens tiam semel Deo promissam æque fideliter , ac libenter singulis momentis exequi maxime gestiebat , optimè persuasum habens , hac agendi ratione , veluti regia via , tutissime , simulque compendiariò ad Evangelicam perfectionem perveniri .

V. Vitam igitur adeò Sanctam , ac tot virtutibus redimitam mors etiam in conspectu Domini pretiosa tandem conclusit anno 1648. ætatis sue 65. Corpus antequam peculiari tumulo in Cavensi cæmeterio includeretur , cum in Ecclesia pro parentalibus esset expositum , totius Cavensis Civitatis frequentiâ honoratum fuit , cunctis certatim , manus , pedesque exosculari , vestiumque particulas , secum auferre connitentibus , certâ spe ductis , ut rei eventus probavit , à propriis eorum quemque languoribus , præsentissimam , ejus intercessione , medelam consequeturum , altè adeo illorum animis , (quæ etiam num ibidem perseverat) de Citelli Sanctitate opinio insederat .

Ex rela-

VI. Ex relatione eruta è Tabulario Cavēsi à D. Marino Albritio, & mihi communicata, quam olim adornaverat D. Camillus Massarus à Capua ejus Tabularii tunc Praefectus testis oculatus. At de Citelli Sanctitate mentionem præterea faciunt Bernardus Pez Mellicensis epistola 9. apologetica pag. 202., & Felix Egger Idea Ord. Hjerar: Benedict. Libello 2. par. 3. dissert. 3. pag. 425, ubi *præclara, quæ fecit signa, præclararam sanctitatis famam ei conciliaſſe*, dicit. C.
Vide etiam nostram Bibliothecam P. 2. Lit. I. pag. 32.

*De eo in
noſtra Bi-
blioth. L.*

ISIDORUS à CLARIS agri Brixiani Castro Clarius dictus, S. Joannis Evangelista in Urbe Parma alumnus, ac deinde S. Jacobi de Pontida Diæcesis Bergomensis, mox S. Mariæ de Cæfena Abbas, denique Episcopus Fulginas, non minus doctrina, quam Sanctitate Congregationi nostræ Italiae, ac universæ Catholice Ecclesiæ decus, & ornamentum eximum attulit, præsertim dum Tridentino Concilio tum Abbas, tum Episcopus interfuit. Plurima de ejus sapientia, ac doctissimis lucubrationibus, plura etiam de ejus sanctimonia, & virtutibus in nostra Bibliotheca, & in Catalogo Episcoporum diximus; Ibi profusas ejus in pauperes eleemosinas, dulcem in subditos mansuetudinem, benignam in omnes charitatem descripsimus, qua ductas, duodecim Virorum Collegium Fulginei instituit, quibus cura incumberet tam ex domestico penitus, quam ex Piorū largitionibus inopū egestatibus subvenire, suo ipse exemplo omnibus id faciendi stimulos præbens; nam copiosos Sacerdotii proventus, parte satis exigua necessariis usibus attributa, mendicis sublevandis insumebat, nequidquam consanguineorum vel tenui fortuna, vel etiam petitionibus permotus, ut in distribuēdis Episcopat. thesauris eorū præ aliis rationē haberi vellet, cum diceret Ecclesiasticos redditus non agnatis locupletandis, sed egenis enutriendis erogandos esse: cui voci auro, & cedro dignæ utinam omnes Ecclesiarum Administratores auscultarent. Laudavimus ejus sollicitudinem in ovibus sibi commissis pabulo divini verbi assidue pascendis, vitiis, & abusibus radicitus extirpandis, virtutibus, & pietatis operibus fortiter insinuandis, Novatorum erroribus confutandis, Dioecesi lustrandâ, Synodis celebrandis, cunctisque vigilantissimi Pastoris muneribus adimplendis. Sed super omnia extulimus, tamquam omni laude majorem, ejus vere Christianam patientiam, qua Sanctus Episcopus à nefario homine obturante ejus salutibus monitis, sicut aspidis surdæ aures suas, sacrilegâ alapâ impetus, tranquillo corde, ac vultu placidissimo, immanem injuriam decoxit. Narravimus etiam ad ejus funus veluti viri sanctiss. maximam undique confluxisse multitudinem, ut vestimentorum ejus particulas non aliter ac gemmas pretiosissimas secum auferrent. Denique Corporis ejus incorrupti, ac suavem odorem efflantis inventionem anno 1601, retulimus: Nec prætermisimus pro corone, celebris* Scriptoris verba in ejus Sanctitatis commendationem, *cujus San-* Ferdinād. *ctitatis odorem nulla ætas, nulla vis unquam extinguet.* Hac autem, aliaque *Vghelli.* de illius sanctimonia ibi ideo diximus, quia tunc de hoc Virorum Sanctitatis fama illustrium Catalogo conscribendo minime cogitabamus; quam ob rem ea omnia hic repetere nec opus, nec animus est, sed dūtaxat memetipsū, aliosque ad virtutum ejus imitationem denuò excitare.

I. JUSTINIANUS BERGOMI nobili genere natus, Patavii, dū litterarum studiis incumberet, institutum nostrum in Monasterio S. Justinæ suscepit anno 1515. sub nomine D. Innocentii, cui quidem nomini, moribus innocentissimis toto vitæ decursu egregiè respondit; optimo præditus ingenio, & à Deo sortitus animam bonam, tum doctrinâ, & eloquentiâ, tum pietate, ac religione clavisimus evasit; septem quibus ibidem vixit annis nonnulla scripsit opuscula.

æque docta , ac utilia , quæ etiam numi extant. Sed cum ad altiora contende-
ret , & solitariae vitæ vehementi desiderio esset incensus , impetratâ veniâ ad
Camaldulenses Eremitas, ad scito *Justiniani* nomine, transivit , & Camanduli
in Etruria octo circiter mirabili Sanctitate mansit annis ; Nec tamen ejus spi-
ritus fervor illâ quâvis adeò sâctâ vivêdi ratiõe satis erat cõtentus, sed strictio-
adhuc appetebat , & intra cellæ angustias penitus includi more veterum Ana-
choretarum enixe postulabat . Sed cum per ea tempora nova, ac severior Ca-
maldulitarum Congreg. *Monis Coronæ* nuncupata emersisset, *Justinianus* in-
stitutum illud amplecti , & ad Cryptas descendere , statim atque justa fese ob-
tulit occasio, minimè est moratus; In qua reformata Congreg. annis quadraginta
perseverans , & in dies præclariora edens exempla virtutum , ut lucerna
ardens , & lucens supra candelabrum posita , totique sodalitati annis prope
triginta ita præfuit, ut incremēti, ac spiritualis profectus ei plurimū attulerit.

II. A' sacerdotalibus quidē negotiis, & forensi quo cūque strepitu semper abhorruit,
quò liberius , ac quietius, pietatis , & Sanctimoniac operibus ipse , ac socii va-
care possent . Terrenas opes omnino contempsit , de virtutum thesauro adi-
piscendo unicè solicitus. Regularem vero disciplinam Eremiticam validè sta-
biliendam , & adamussim retinendam, proprio præeunte exemplo , strenue
semper curavit ; nam licet septuagenario major , nihil tamen de consuetis, &
communibus observantiis remittere umquam voluit , nec aliis Patribus , ut
benignius secum, utpote tanto sene ex Regulae * permisso agi pateretur, sua-
dentibus , ac rogantibus, ullatenus acquievit, professus non prius se Eremiti-
cæ Vitæ rigorem, quam vitam ipsam depositurum .

III. Tēpus vero omne quod ab oratione, & regiminis curis sibi supererat, sacris,
piisque lectionibus impendebat , quo ex studio , sicut ipse scientiæ plurimum
hausit , ita coelestium doctrinarum rivulos in aliorum utilitatem derivavit,
pluribus conscriptis aureis opusculis , quæ si omnia extarent , *magnum Eccle-
siæ lumen fuissent allatura*, ut ejus Vitæ Scriptor testatur; sed ejus cellâ, dum
ipse in Ecclesia nocturnæ Sinaxi interesset , foedo incendio correptâ , omnes
fere ejus lucubrations (præter tamen illas, quas dum Monachus noster esset,
ediderat , *De vera, & falsa amicitia, & de mundi contemptu*), in cineres abje-
runt , deplorabili sane jacturâ , iniquissimè ab omnibus , præterquam ab ipso
met , qui præ omnibus eam fecerat , Authore perlata ; quo quidem actu pa-
tientiam suam, & cum dñā voluntate conformatiōnem maxime commendavit,
tot laborum , ac vigiliarum fructus uno temporis momento redactos in nihil-
lum imperturbato animo videns. Sciebat enim apud Deum nihil umquam esse
posse in oblivione , nec æternam ejus mentem Jota unum , aut unum api-
cem præterire .

IV. Sed qua devotione , qua instantiâ , quove mentis ardore , & corporis ha-
bitu, & compositione dñā officia persolveret, paucis explicari non potest. Die,
noctuque numquam Choro deerat . Ibi non minus corde , quam corpore in-
Deum erectus, complicatisque manibus, altâ, clarâque voce, summa cum re-
verentia Domino sapienter psallebat ; tanta insuper attentione , ut (quod in
aliis fere omnibus ob naturalem humani Intellectus lubricitatem , & euaga-
tionem , maxime arduum , ac difficillimum est) vere affirmare potuerit, *Se ne
verbū quidem Sacrae Psalmodiæ per inadvertentiam amittere*. Felix qui ita
dicere , felicior , qui ita facere potuit . Cum Superior esset , (erat autem ,
licet invitus , fere semper) districte Ostiario præcipiebat , ne sibi in Choro
laudes Altissimo reddenti, aliquod cujusque etiam magni momenti negotium
nunciaret ; neve interventu cujusvis personæ quacunque dignitate fulgentis
se in-

*Cap. 30. de
Senibus, &
Infantib.*

*Pſallendi
devotio.*

se interpellare auderet & rectè quidem; cum omnis ratio postulet, ut Deus cunctis hominibus, cunctisque rebus creatis præferatur; nimisque inurbanum sit, cum Dño Universorum colloquium abrumpere, ut cum servulis præpropere sermonem habeamus. Solitudinis, & quietis amantissimus, nihil antiquius habuit, quam in cœlla rerum cœlestium meditationibus longius vacare. Cujus orationis dulcedine arctè irretitus, dies aliquando sine cibo, noctes sine somno transigebat, eam non semel uti veram, ita laude dignissimam, emittens vocem, *Cibi, somnive memoriam, in mente bene in Deum elevata tardius occurrere.*

Solitudo.

V. Præscientia spiritu imbutum fuisse inde potissimum liquet, quod cum à Patribus ejus Congreg. Diffinitoribus, *Major*, ut ipsi dicunt, seu Gener. Præses eligendus esset, nullas non adhibuit preces, ut id oneris, atque honoris à se amolirentur; non ut laborem vellet refugere, sed quia ultimus Vitæ suæ terminus jam instaret, ex quo Patrum desiderium frustratum iri afferebat. Illis tamen ejus dictis minime acquiescentibus, toti Societati iterum præfectus est. Sed tertio post mense febri correptus, ad extrema devenit, cumque Pater in eo agone ei adstans ad mortem fortiter subeundam eum hortaretur, in hac verba, ut Sanctissimum Virum decebat, prorupisse fertur: *Ego licet non meis meritis, fide non dubia, speque firmissima, atque misericordia fretus Altissimi, mortem, quasi Virgo sponsum, expecto.* Ei nimirum id evenit quod S. Gregorius Mag: de similibus loquitur, *Qui autem de sua spe, & operat. securus est, pulsanti confessim aperit, quia latet Judicem sustinet & cum tempus propinquus morris advenierit, de gloria retributionis hilarescit.* Ita comparatus, cunctis, qui aderant, admirantibus, simulque corde compunctis, placidissimam mortem latus aspexit die 10. Mensis Augusti an. 1562.

Prophetia

Mors.

VI. Tanti viri amissionē ægerrimè omnes illius Congreg. Sodales pertulerunt, ac diuturnis lacrymis prosequuti sunt, quamquam aliunde de ejus sempiternâ gloriâ gaudentes: dolebant siquidem insignium adeo virtutum quotidianis exemplis se destitutos, eo præsertim tempore, quo ex iisdem editiore in loco fulgentibus majorē utilitatē, simulque majus decus se percepturos sperabant.

VII. Ex Luca Hispano Eremita in Historia Romualdina Mōtis-Corōæ Libz.c. 11. & cap. ult. & Lib. 4. qui est de Vita Justiniani Bergomæ, & Lib. 5. cap. 6. quibus in locis eum magnum, doctrina eximium, sanctis moribus ornatum, Eremitici Instituti columnam, præclarissimam gemmam, fulgidissimum ornementum, bonum Christi odorem in omni loco, lucernam denique ardente ijs, qui in domo Dei sunt, semper appellat. Eum insuper impense laudant Petrus Delphinus Eremita in pluribus suis Epist. ad eum datis præcipue lib. 12. Augustinus Fortunius in Hist. Camaldulensi lib. 3. cap. 17. ubi narrat Justinianum à gravi dentium dolore liberum prodigiose in perpetuum evasisse, manum B. Michaelis Eremitæ jam demortui osculando, & cap. 18. primum Authorem Eremitæ ad Abbatiam Fractæ instituendi, eum fuisse afferit, ibique reliquum vitæ multâ Sanctimoniam peregisse. Præterea de eo maximâ cum laude agunt Gabriel Bucelinus in Menol: Bened. pag. 556. ad diem 10. Aug. ex laudato Luca Hispano. Felix Egger in Idea Ord. Hjerarch: Benedict. libell. 2. p. 3. dissert. 3. pag. 395. qui duo postremi Authores, Justiniano Beati nomen attribuunt; Nos etiā in nostra Bibliotheca, ubi fusi de ejus lucubratioib; ipsius quoque Vitæ Cōpendium inseruit tomo 4. Anni Benedictini Gallico sermone conscripti Jacobina Bovetta de Bleumur Monialis SSīmæ Trinitatis Cadomensis, nuper in Italicum Sermonem traslati, & Venetiis impressi anno 1727. pag. 302. & seq. ad diem 11. Augusti.

Bleumuria.

Caen. in Norman-
nia.

I.



LUDOVICUS BARBO Patritius Venetus Præfectus primum fuit Congregat: Canonicorum sacerdotalium S. Georgii in Alga nuncupata: Erat quidem ille valde juvenis, sed conspicua morum integritas, rara prudentia, & doctrina minimè vulgaris eo honore dignum effecerant. Nec multo post à Gregorio XII, qui in eadem Congreg. Barbi Soda-

Città di
Castello in
Umbria.

Primum fuit
Veronense SS.
Nazarii &
Celsitum Ge-
nuense. Beni-
gni, tradente
Grimaldorum
familia: mex
Mediolanense,
& Florentinum
coedente Ni-
colao Vassone
Post hæc Mā-
tuuam Gui-
done Gonzaga
impartiente,
Romanū dein-
de S. Pauli, S.
Sixti Placen-
tiae. S. Georgii
M. Venetiar.
& plura alia
etiam post Lu-
dovici obitum
interquæ an-
no 1505. Sicut
la Congregat.
& Casinensis.
Archisterii,
unde postea
Congreg. Ca-
sinensis. appella-
ta est, maxi-
mā nostræ So-
dalitati ac-
cessionem fe-
cerunt.

an eam dignitatem admitteret anceps hæreret, divino nutu factum est, ut ab eodem Pontifice, Cardinalis Antonii Corrarii, Episcopi Bononiensis ejus Fratris Filii suatione, Abbas S. Justinæ renunciaretur. Itaque Ariminum pergens, ubi tunc Pontifex morabatur, emissaque coram Episcopo Tiphernate* solemni Regulæ Benedictinæ professione, ac summo ipsi Antistiti promissâ obedientiâ Abbas consecratur anno 1409. atatis suæ 27. quod quidem quā felix faustūque D. Justinæ Coenobio alias aplissimo, ac celeberrimo, tunc vero foedè collapso, ac pene ruinis obruto, fuerit, numquam satis laudabitur. Nam Dei in primis ope, & Ludovici virtute non solum Monasterium illud, sed alia etiam plurima per Italiam Cœnobia, quæ diuturni temporis injuriis, aliisque de causis miserabilē faciem induerant, in erectâ per ipsum Congreg. antiquum splendorem, & Sanctitatem recuperarunt; ita Marci Eremitæ SS. Mihi & aliorum Dei famulorum prædictiones de Instaurat. Ordinis Monastici per Ludovicum Barbū peragendâ omnino impletæ. Qua in re simile quiddam cum Beatissimo Patriarcha nostro Benedicto Barbus obtinuit, ut nimirum uterque Marcum suum Eremitam Monastici Ordinis illum instituendi, hunc per Italianam restituendi, Casini unum, Venetiis alterum Vatem, & hortatorem habuerit.

II. Tam egregium itaque opus aggressus Ludovicus D. Benedicti Regulam sibi, suisque affeclis ad amissim observandam proposuit; cumque omnibus proprio exemplo præiret Xpti bonus odor factus in omni loco, plures optimæ indolis, ac spei juvenes ad sua seccunda vestigia, probatissimum nempe vitæ genus amplectendum, undique attraxit; quamobrem Monasterium S. Justinæ & numero, & Sanctitate alumnor: ita crevit, ut ex eo, veluti ex frequentissima Urbe tot Monachorum Colonia ad redintegrandam Cœnobiticam disciplinam per Universam Italianam primò deductæ sint, ac deinceps omnes alia per Europam non modo Nigrorum, sed alia etiam Monachorum Congregat. per eosdem Justinianos, Casinenses deinde dictos Monachos, vel reformatæ vel institutæ.

III. Regebat eos Ludovicus mirâ mansuetudine, & benignissimâ charitate, eosque Orationis cum vocalis, tum mentalis cœlesti pabulo, ut dilectissimos filios jugiter enutriebat, quò fortiores in dies reddit, Evangelicæ, & Monasticæ legis jugum suave, & onus leve alacriter, unoque humero ferentes, in domo Dei ambularent cum consensu. Ipse namque orationi, & contemplationi addictissimus, sine illa nihil consulere, ne dum aggredi solitus erat, cuius virtuti, & efficacia cuncta prospera à Deo sibi concessa in tot Monasteriorum reformatione referebat accepta. Nec satis habens sanctum hoc, & plane divinum exercitium tam dum Abbas esset, quam dum Epüs ad mortem usque invictissime perducere, librum etiam utilissimum de eadem mentali oratione composuit, ut alii quoque, præsertim Monachi ad eam facilius per agendum hac methodo juvarentur. Ut vero obedientiæ, quæ virtus Cœnobitis maximè est necessaria, se ipsum ceteris exemplum præberet, postquam novam, suâque operâ stabilitam Congregationem, integrum annum, Præsidentis munere, gubernasset, dignitate deposita anno 1420, aliis deinceps Præsidentibus paruit, quod idem illi quinquies evenit, nam quinquies ad Congregationis supremam dignitatem

tatem evectus, totidē vicibus e cathedra illa descendens, in ordinē se rededit.
IV. Humilitatis vero ejus, ac dulcedinis duo tantum proferam exempla. Primum. Cum apud Venetum Senatum traductus fuisset veluti Patriæ hostis, & jurium Principalium Usurpator, quod Monasterium S. Georgii majoris, hancenū Jurispatronatus Reipublicæ, Congregat. S. Justinæ uniendum in perpetuum curasset, Ludovicus Patres-Conscriptos lenitate, ac submissione ita flexit, ac mitigavit, sibique devinxit, ut benevolentissimos, ac maxime faventes reddiderit. Alterum. Electus ab Eugenio IV. Episcopus Tarvisinus, eam insulam quoad licuit constantissime recusavit, nec umquam admisisset, nisi ejusdem Pontificis jussu coactus, qua in re ejus etiam dicitarum, bonorumque temporalium contemptus egregie enituit, laudatus enim Pontifex tertiam reddituum partem Abbatia Sanctæ Justinæ Ludovico, quandiu viveret, indulserat, ut honorificentius Tarvisinam Ecclesiam administraret; At ille eam facultatem Monasterio, & Congregat. remisit, quo suum in idem Monasterium, & Congregationem amorem cumulatius testaretur, quamvis eundem jam pridem pluries, imo ab ipso initio suæ in Abbatem electionis ostendisset, vix enim Arimini Benedictio munus à Gregorio XII. adeptus, duo præclara beneficia ab eodem Pontifice impetravit, unum ut Monachi omnes sub eo, D. Benedicto nomen daturi, in mortis articulo plenariam peccatorum Indulgenciam consequerentur, alterum quod jus eligendi Abbatem S. Justinæ Apostolicæ Sedi, antea reservatum, in posterum penes Monachos esset, quod jus postea, unita Congregat. ad Supremum Comitiorum Magistratum devenit.

V. Quantâ vero prudentiâ, & in rebus agendis solertiâ, & dexteritate esset prædictus, laudati Summi Pontifices Gregorius, & Eugenius palam fecerunt, Ille enim Ludovicum ad Pisanum Concilium, hic autem ad Basileense tamquam unum ex Apostoliç Nunciis miserunt, ubi ita se gessit, ut & eorum Pontificum rem egregie curaverit, & simul Ecclesiæ pacem, & concordiam strenue semper promoverit, & schisma abolere pro virili studuerit. Jam vero factus Epûs Concilio Florentino interfuit sub eodem Eugenio IV. anno 1439: eidemque ad finem deducto subscripsit.

VI. Denique cum in Tarvisina Cathedra summâ cum laude annos sex transgisset, Venetiis extreum morbum incurrit, cuius lethalem vim probè sentiens, ad Sanctum Georgium Majorem se deferri jussit, ubi SS̄mis Ecclesiæ Sacramentis summa pietate susceptis, inter Monachorum manus, & lacrymas, æternitatis metam attigit anno 1443, atatis suæ 63, magna Sanctitatis opinione, quæ etiam num viget, in terris relicta. Sicut autem inter Monachos Venetos mori, ita etiam inter Monachos Patavinos sepeliri voluit, ut ab illis, quos adeò in Vita dilexerat, & pro quibus tot labores exantlaverat, ne mortuus quidem separaretur.

VII. Ex Arnoldo Wione Lign. Vit. l. 2. cap. 64. pag. 359. & lib. 5. c. 6. pag. 581. & seqq. quibus in locis, prisca Virtutis æmulatorem egregium, lucernam ardentem super candelabrum positam eum appellat; electumque mirabiliter à Deo, ut D. Benedicti arborem incurvata erigeret.

Ex Jacobo Cavaccio Hist. S. Justinæ Lib. 5. à pag. 197. usque ad 222. Angelo Portenario, *De Felicitate Urbis Patavii* lib. 9. cap. 15. pag. 421. ubi Barbum meritum, & gloria plenum, Vita integerrimum, & Sanctis operibus cumulatum vocat. Leonello Crocecalle Monacho Patavino in Historia MS. Italica Abbatum S. Justinæ l. 5. pag. 125. ubi eum tamquam Virum moribus Angelicis ornatum describit, eloquio affabilem, familiari consuetudine dulcissimum, erga infirmos summa charitate, erga pauperes eximiâ liberalitate, erga omnes rarâ man-

Cavac.
lib. 5. pag.
202.

Lsuetudine præditum , jejuniis , ac vigiliis ad obitum usque deditissimum , qui factus Epüs Palatum , & Curiam in regulare Claustrum, famulos, & familiares in Monachos converterit proprio exemplo cunctis normam præbente .

VIII. Ex quibus hic etiā putida Pogii calūnia de Ludovici abitione, & Hipocrisi invictè exploditur; ejusque criminatio de Barbi immoderato fastu, ac pompa, unde Ponponium per summā impudentiam eum appellat, falsi convincitur, tum ex supradictis , tum etiam ex carmine , quod ad calcem libri à Ludovico conscripti, de miraculosa reformatione Monasterii S. Justinae inter cetera legitur.

Lucrari cupiens animas , vult spernere pompas .

Tantū abest, ut pompas sectatus sit Ludovicus, ut eas ubique eliminare, & abolerere studuerit. Sed qui plura de eo desiderat, consulat non solum alios nostros Catalogos Episcoporum , ac Reformatorum , sed etiam nostram Bibliothecam , in qua fusissime de eo agimus .

I. LUDOVICUS BATEATUS natus est Catanæ in Sicilia anno 1640; anno vero 1673. die 21 Septemb: in Monasterio S. Nicolai de Arenis Urbis ejusdem, solemni emissâ professione , in D. Benedicti verba juravit . Cum autem vigesimum secundum ætatis annum attingeret , divinæ gratiæ uberiori illapsu permotus , maximo spiritus fervore , Monasticæ perfectionis iter aggressus est , brevique ad ejus terminum , Deo bene juvante , pervenit . Jaſto enim humilitatis fundam: ob quam Sacerdotio initiari , summo conatu , indignum se eo existimans, recusavit, nec tandem nisi aręto Abbatis iusu coactus, illud suscepit, facile reliquarum omnium virtutum ædificium ad culmen usque perduxit. Modestia in primis adeo excelluit , ut ne ad Matrem quidem videndam oculos aperire voluerit. Obedientiam eximie coluit, nam absque Superioris permisu nihil prorsus sibi aggregendum putavit . Abstinentiâ fuit admirabili; ſæpe enim biduum , triduumque fine ullo omnino cibo tranſegit : Corpus ciliis , catenisque costringens , illudque feverius macerans , ſuper nudos aſſeres , aut ptæacuta ligna cubans , quietem adeo inquietam capere solitus erat. Injurias , & contumelias non ſolum patientiſſime tulit , ſed lætanter etiam, ac ridenti ore excepit , quippe qui axioma illud ſibi ſervandum proposuerat , *injurias accipere , & gratias agere*. Quo vero magis corpori alimenta subtrahebat , eo amplius animum orationis pabulo ſaginabat ; non enim ſatis illi erat conſuetum cum ceteris Psalmodiæ penſum persolvere , ſed eo expleto, aliis recedentibus , ipſe in Ecclesia manens complures horas orationi tribuebat .

II. Dei amore flagrans , illud Apoſtoli jugiter repetebat , *Quis nos separabit à charitate Xpti!* Quæ utique charitas, cum ad proximos etiam diffundi debeat, Ludovicus pauperes quoſque , & infirmos , omnibus humanitatis officiis proſequebatur , illorum pedes abluere , propriis vestibus eos operire , in Noso- comiis jacentes frequens invisere , ſalutaribus monitis ſolari , ad patientiam in ægritudine, ad constantiam in extremo agone, ipsaque morte ſubeunda effaciter hortari , in deliciis habens . Antequam nocte cubitum iret , SSmi Patriarchæ noſtri Regulam legere aggrediebatur , ut ejus meditationi indormiret , ſed in primis Prologi verbis ſemper hærebat , *Auſcultat à Fili precepta Magiftri*, copioſis enim lacrymis ſtatim obortis veluti degenerem ſe tanti Patris filium acriter lugebat .

III. Cum vero anno 1669 Ethna Mons , horribili ſi quando aliàs incendio conflagrasset , flamarumque , ac igniti bituminis ingentes globos evomuiffet , jamque ignes Urbi, ac Cœnobio Catanensi proximū excidium minarentur, Ludovicus ex Abbatis præcepto coram frequentiſſimo populo conciones pareneticas ad poenitentiam ſummo spiritus fervore , maximoque animarum fructu

plu-

*Humili-
tas.*

Modestia.

*Obedien-
tia.*

*Abſtinen-
tia.*

*Poeniten-
tia.*

Patiēntia.

Oratio.

Charitas.

pluries habuit, in quarum postrema Auditores bono animo esse jussit, quod ejus preces, & vota Altissimus exaudire dignatus tandem fuisset; quia nimis semetipsum hostiam ad mortem Deo obtulerat, ut Urbem, & Cœnobium ab imminenti periculo liberaret, & ita prorsus evenit; nam Urbs, & Monasterium mirabiliter illæsum permansit, at ipse paulò post gravi morbo correptus, in pagum Urbi proximum aeris mutandi gratiâ secessit; ibi desperatâ à Medicis valetudine Sacrosanctis mysteriis refectus, Monachis nostris, qui statim accurrerant, adstantibus, quodque longè felicius est, Bñâ Deiparâ, quam singulari semper pietate coluerat, se ei conspicuam tunc præbente, animam sanctissime, ac placidissime Deo reddidit.

MM

Mors.

IV. Tribus insequentibus diebus, supra domum, in qua obierat, insuetus Lusciniarum cantus exauditus est, odorque suavissimus in eadem domo diu efflavit; Corpus, invitatis licet, ac reluctantibus pagi incolis, ad Monasterium delatum, publicæ undique confluentium venerationi expositum, peculiari tumulo conditum fuit.

V. Ceterum Ludovicus pluribus à Deo miraculis tūm in hac vita degens, tūm post hujus vitæ periodum, illustratus fuit. In ijs fratribus sui filiæ adhuc puellulæ oculos foede obtortos, solo frontis tactu, suo loco restituit. Porrò vocatus ad visitandos infirmos, pulverem ex Cœnobii sui Coemeterio acceptum secum deferebat, eumque aquâ permixtum ægris propinabat, eos exhortans, ut per merita SSmi Patriarchæ Benedicti, Sanctorumq; Monachorum Cœnobii S. Nicolai de Arenis, sanitatem se consequuturos sperarent, uti re vera plurimi eam consequuti sunt; post mortem vero ejus vestes piis hominibus distributæ plurimum prodigiorum fuerunt instrumenta.

Ex ejus Vita scripta à Bartholomæo de Alexandro à Paternione Abbe S. Nicolai de Arenis, de quo Nos in nostra Bibliotheca parte prima Lit. B. pag. 72.

I.



ARGARITA CONRADI eximiâ Sanctitate conspicua, Monialis quidem fuit Ordinis nostri, non tamen nostræ Congregationis, sed ex Monasterio Sanctæ Catharinæ Ameriæ in Umbria sito, & Episcopo Amerino subiecto. Nihil igitur ad me pertinere ejus vitam describere, aut ejus gesta narrare, alicui videri poterit, nisi justissimam, quæ ad id me impulit causam, prius cognoverit. Cum ineunte hoc saeculo 1700. Ameriæ aliquot annis degerem, Monialium nostrarum S. Magdalena Confessiones excipiens, jussus ab Illmo Episcopo Josepho Crispino, earundem etiam S. Catharinæ Monialium Confessiones extra Ordinem plures dies audivi. Tum vero Coenobii illius seniores Sanctimoniales, ostensis mihi, ac traditis Ven: Dei famulæ Margaritæ Conradi gestorum memoriis, & authenticis monumentis, quæ apud eas servabantur, me enixe rogarunt, ut ex illis suo ordine dispositis Italico sermone ejus Vitæ historicam seriem contexerem; promisi satijs facile, in illam lectissimam Virginem devotione, in hasce religiosissimas ejus virtutum Imitatrices obsequio jure permotus. Quo minus tamen promissis hactenus steterim, gravissimæ intercesserunt occupationes. At cum tandem ad hunc locum pervenerim, promissi memor, fidem meam, licet aliquantò seriùs, sed Latino idiomate, eodem scilicet, quo hunc etiam Catalogum exaravi, liberare constitui, ratus nihil prorsus Lectoris referre vixerit ne illa in Coenobio Ordinario Epō subiecto, an vero sub Congregat: aliqua constituto, dummodo in ejus Vita omnium virtutum ad suam, aliorumque spiritualem eruditionem, ac profectum proponantur exempla; quam etiam Mar-

Proæmiū.

Mgaritæ Vitam in Italicum postea sermonem verti, nedum ejusdem D. Catharinae, quibus illam dicavi, sed omnium etiam aliorum Monasteriorum Sanctimonialibus, ceterisque piis hominibus, qui Latine minime callent, consulturus Sane ad ejus Vitam describendam calamo opus esset ea spiritus pinguedine temperato, quo illa affatim fuit imbuta. Tot enim Sanctorum operum splendoribus hæc Virgo effulsa, tot à Deo charismatibus fuit ornata, ut ejus Vita perpetuum Sanctitatis prodigium meritò dici possit; quò justius divinam pietatem, ac providentiam laudibus, & gratiarum actionibus efferre debeamus, quæ calamitosis illis, ac tot corrupte lis, ac flagitiis undique redundantibus temporibus, haud ita longè à mænibus almæ Urbis fulgentissimam Evangelicæ perfectionis lucernam accendere, omniumque oculis suspiciendam, omnium cordibus imitandam exhibere voluerit.

Natalis, & Tyrocinium ejus in Abbatissam electio CAP. I.

I. Nata est Margarita Conradi in Urbe Roma honestâ satis familiâ Patre Furnio Conradi nobili Amerino, Matre Prudentiâ Pistoni Romanâ circa an. 1570. sed quinquennis perducta Ameriâ, antiquissimâ Umbria Civitatē, ibidē in Monasterio D. Catharinæ Sacro Ord: D. P. Bened. Deo fuit oblata, cūque tertiu decimū ætatis annum attigisset, Sanctimonialis habitumibidem suscepit, assumpto Margaritæ nomine, nam antea Cleria vocabatur. Vixitque ad centesimum sere annum mirabili austерitate, & Sanctitate, maximarum virtutum odorem circumquaque diffundens; Nam non solum, (ut P: Priolus è Congregatione Somascha, ejus pluribus annis Confessarius, testatus est) innocentia in Baptismo susceptæ candidissimam tunicam ab omni mortifera labe semper illibatam servavit, sed cujusvis etiam imperfectionis levem quamvis maculam plena voluntate numquam admisit, quamobrem cum ejus Confessiones audiret, vel sola benedictione, vel conditionata solummodo absolutione impartita, eam dimittebat; Nihil enim in ejus purissima anima, quod Dei non esset, inveniebatur, semper coram Deo in cordis simplicitate, & obedientiâ ambulavit, semper de virtute in virtutem ire perrexerit, & tamquam pretiosa Margarita non tantum nomine, sed & ipsa re, nimio zelo à divina gratia custodita, & jugi tribulationum, & asperitatum gravi labore, velut aurum in fornace, pulchrior quotidie redditâ.

II. Cum adhuc Tyrocinium poneret, insanabile ulcus ejus mamillam invasit, at ipsa, honestatis gratia, nemini umquam, præter Moniales duas, secreti tamen vinculo alligatas, id patefecit; Igitur, neglecta curatione, ulcus in carcinomam tandem erupit, & mamilla vermibus scatere cœpit; quodam autem mane vermes ex ea incidentes collectura (tanti eos faciebat) illos in totidem Margaritas conversos stupens invenit, quod prodigium cum celari minime posset, in causa fuit, cur ejus mamilla Unionum concha appellaretur.

III. Paulò post emissam Monasticam professionem apparuit ei Christus Dominus venerabili, procerâque specie, ingentem circumquaque splendorem emittens, præcepitque illi, ne umquam totâ vitâ carnes cujusvis generis comederet, neve aliquando lecto decumberet: paruit illico, quamvis gula sensu admodum reluctantem, nam animalium extis libenter vescebatur, quibus nihilominus deinceps ad mortem usque semper abstinuit, solis leguminibus, & modico pane contenta, somnum autem vestita semper, & quidem parcissimum supra nudos afferes in posterum capiens. At cœlestis Sponsus, qui Margaritæ corporeas, terrenasque consolationes interdixit, suavissimo, licet abscondito, Orationis Mannâ ejus animam opiparè saginabat: eâq; cordis dulcedine, quæ mel, & favum superat, ad se ipsum illam ab Infantia attraxit, duxitque in solitudi-

litudinem, ut loqueretur ad cor ejus; quapropter cum ejus duæ Materteræ, quæ in laudato Monasterio degebant, ad manuaria opifia, pro ejus ætatis modulo, eam adigere conarentur, Margarita, quoties poterat, occultè fugiens, se in abditissimis locis abscondebat, ut ibi orationibus impēsiū vacare posset, earum ob id frequentes objurgationes patientissimè ferens; quòd velut ignavia dedita laborem vellet refugere.

IV. At illa assiduo orationis pabulo enutrita, in totius Sanctitatis simulacrum statim accrebit, & ut fax lucidissima, ab ipso mundi Rectore super candelabrum posita, cunctis domum Dei ingredientibus virtutum omnium lumen ostendit; dum enim aliquando oraret, vidi in spiritu ex tribus trabibus, quæ Cœnobii contignationem suffulcire debuerant, unam quidem jam penitus corruisse, duas vero reliquas loco motas, ruinam quam primum minitantes: Intellexit protinus Dei famula tres illas trabes tria Religiōis Vota significare, collapsam autem jam paupertatem, indeque alia duo in discrimen adducta, omnia autem à se reparanda, & pristinæ integritati restituenda. Itaque mirabili prorsus modo & contra suam voluntatem, in Antistitiam electa, illico Monialium cellas perlustrans, eas rebus spoliavit omnibus, quas in communem locum inferri jussit, ex ijsq: unicuique Moniali, quæ maxime opus erant, præsertim ex rebus lineis, ut à Deo monita fuerat, reddi curavit, pecunias vero omnes in commune ararium deponi voluit, unde ne obolum quidem extrahere, sicuti nec re aliqua uti, se inconsulta, nemini deinceps fas esset, cunctis Monialibus facile, ac libentissimè ei morem gerentibus; Hac ratione Cœnobium illud dicto citius, reformatum est. Jacto enim paupertatis, ac obedientiæ fundamento, statim reliqua composita, & firmata sunt, silentii nimirum custodia, orationis studium, solitudinis amor, Chori assidua frequentia, à Cratibus elongatio, à Sæcularibus personis fuga, jejunior: ac vigiliarum familiaris usus, Sacramentorum crebrior sūptio, denique religiosæ vitæ probata, & laudabilis forma, quæ ibidem cunctis plaudentibus hactenus perseverat. Sed quid non impetraret ab inferioribus Antistes illa, cuius Vita, & quilibet actus erat aliis norma Virtutum, & Sanctitatis exemplar?

M
Vel ejus Ami
tas nam ex
Patre ne, an
ex Matre fue-
rint, me latet.

Ejus Virtutes, & in primis Dei Amor, & Proximi. CAPUT. II.

I. MARGARITÆ igitur Virtutes jam descripturus, incipiam à Dei, & Proximi dilectione, quæ est primum, & maximum mandatum, ex quo universa Lex pendet, & Prophetæ ut Salvator docet: Eo autem Dei amore Margarita flagravit, ut vehementissimè cuperet eum ab omnibus creaturis, & amari plurimum, & jugiter laudari. Cum ergo ex D. Gregorii Magni sententia, *ille magnus sit in amore Dei, qui multos dicit ad amandum Deum*, hinc prorsus Margaritæ summum in Deum amorem licet percipere, nam quascumque poterat socias, ad orationem, ad voluntarias flagellationes, ad divinar. laudum recitationem, aliaque pietatis opera verbo, & exemplo trahebat. Ceterum divini amoris incendium, quo ejus cor æstuabat, in ipsum etiam corpus difundebatur, ita ut ad illud refrigerandum non semel nudis genibus supra gloriam diù orans permanere Margarita cogeretur.

II. Eximia porrò erga proximum dilectionis, quæ ex eodem divini amoris fonte promanat, hæc potissimum dedit indicia. Monialibus omnibus, quoties ferret occasio, quacumque in re libentissime inserviebat, fere semper illarum vice ad mensam legens, quod quidem voce adeò suavi, devotâ, & prorsus Angelicâ peragebat, ut omnes inde spiritus hilaritatem, simulque cordis compunctionem haurirent: Ipsa fere semper Moniales ad divina officia persolvenda excitabat, cellularum januas pulsans, ipsa infirmis Sororibus quæcumque

M

opus erant sedulò ministrabat , medicamenta, ac cibos propriis manibus singulis præbens ; ipsa *Conversarum* (ut dicunt) exercitia strenue obibat , à vilioribus Culinæ, Horti, aliarumque officinar. laboribus minime abhorrens; vertere sordes, vascula abluerre, lectos componere, nullum denique charitatis officium, & misericordiæ actum prætermittere ; Si quod illi edulium a consanguineis , & propinquis donaretur , statim illud in omnes Moniales distribuebat , etiam si modicum quid unicuique obventurum esset , nullâ habitâ acceptance personarum. Quamvis enim sibi admodum parca , erga Moniales tamen per quam liberalis , & benefica erat , ut illis omnia , pro refectione , abunde , & rectè disposita essent , prout religiosi status fert conditio, anxiè curans, quare cum ipsa per hebdomadam Triclinio, aut Coquinæ præerat, ut Moniales semper aliquid solito amplius acciperent , satagebat.

III. Ejus igitur Vita contemplationem, & actionem pulchro simul nexu complectebatur ; contemplatione in Deum, actione in proximum directâ. Itaque cum multum , diuque orasset , ad texendas ligulas & fasciolas se convertebat , nec tunc tamen mente à Deo distans , earumque ingentem copiam , & vix credibilem numerum brevi temporis spatio absolvebat , quas postea ob Dei amorem , & charitatis ergo aliis donabat . Sed juvenis cum esset , & validioribus Corporis viribus polleret, post consuetas orationes, graviores etiam manuum labores subibat, sed omnes ad Dei gloriam, & cultum pertinentes, consuebat namque Albas, Superpellicea, Planetas, Vela, aliaque id genus Sacerdotalia indumenta , & supellec̄tiles sacras , quas Ecclesiæ , & Sacrario largiebatur, nihil omnino ex eis apud se retinens, nec lucrum aliquod quamvis minimum ex eis exquirens. Erat enim ab omni rerum temporalium cupiditate, & curâ prorsus aliena , sed omnia unico Dei amore impulsa operabatur ; *Amor enim Dei,* ut laudatus M. Gregorius asserit, *operatur magna si est , si verò operari renuit, amor non est.*

Abstinentia CAP. III.

I. Jā vero ad ejus reliquas singulares Virtutes enarrandas nobis pergētibus, occurrit Abstinentia, quæ tanta in illâ fuit, ut sine admiratione nec describi, nec legi umquam possit, non enim solum præscriptam ab Ecclesia, sed alias etiam Fratrum Minorum Quadragesimas arctè observabat ; imo tota ejus Vita post Religionis ingressum perpetua fuit Quadragesima , nam nec carnes umquam, ut supra innuimus, nec ova , nec lacticinia, nec pisces denique, nisi admodum rarò , gustavit ; præcepit ei quidem semel P. Priolus Confessarius , ut duo ova deglutiret : paruit illicò Margarita , sed quacumque vi, & conatu adhibito intra stomachum ea recipere minime potuit , coacta illa regerere .

II. Itaque ejus continua esca panis, & legumina, & aqua potus, nā vini nec odorem quidem sustinere poterat. Sed legumina ipsa per totam hebdomadam sibi suffectura dominicâ tantum die coquebantur ; quotidie vero ex eadem olla portionem sumens mucore , ut plurimum, obsitam , & situ foedam, & aliquando vermbus scatentem , eamque recoquens , avide comedebat ; quæ tamen ejus palato ita dulce , ac suave sapiebat , ut non solum corpus , sed animam quoque mira jucunditate reficeret. Jure ergo sibi dicentibus , nimis sordidum esse, ac stomachū movens, cibo adeò requieto, & mucido vesci, respondebat; at vero mihi hoc ipsum sumopere convenit, & placet; nā cibus ille Margaritæ, veluti Manna olī de Cœlo missū ōne delectamētū, & ōnis saporis suavitatē habebat.

III. Hie ejus consuetus cibus, hoc ejus juge jejunium, imò interdū unum, (& ut plurimum Feria IV.) aut duos , aliquando etiam tres integros dies sine ullo cibo perstebat , quia pinguedine cœlestium contemplationum saginata, corpori cibi omnino obliviscebatur, præsertim cum Sacram Eucharistiam sumeret;

man-

mansissetque adhuc diutiùs in omnimodâ abstinentiâ, nisi à Monialibus de sumendo cibo tandem admonita, aliquid comedisset, declinanda potius vanæ gloriæ cuusâ, quam escæ indigentia: adeo suavis est Dominus ictus, qui gustant illum. Requisita autem cur tandiù cibo abstineret, nonne respondebat, videtis me comedere? & jure quidem, nam panem Angelorum comedebat, qui illi mirum vigorem, & fortitudinem tribuebat, ut ambularet in fortitudine cibi illius usq: ad montem Dei, adeo ut ijs diebus & se robustiorem ipsa sentiret, & aliis ejus facies vegetior, & corpulentior appareret. Reg. 3. 19. 9.

IV. At vero singulis sextis feriis in honorem, memoriamque Dominicæ Passionis nihil præter panem, & absinthium ad cibum, & acetum ad potum adhibebat, idque nonnisi post solis occasum, ad quem fortiter jejunium protrahebat; eratque res valde mirabilis, quod hyemis etiam tempore, quamvis omnes horti arbores frondibus exueretur, absinthiū tamen ibidem extans, iisdem sextis feriis aliquam semper frondulam ad Margaritæ usum germinaret. Nec tanta amaritudine palatum suum afficere satis habens, alio etiam tormeti genere gulam cruciabat: ex horto siquidem illum non semel una cum Sororibus Conversis purgans, Erucas aliquot legens, eas mandebat, quod ipsum à prima juventa, pluries se fecisse, ad gulam affligendam, confessa est. Hæc autem, aliaque id genus agens, corpori suo insuper insultabat, dicens, ita prorsus, imò pejus tecum fætidum, horrendumque monstrum agendum est, ut in spiritus servitutem redigaris.

V. Verum tamen est Margaritam hunc jejunii rigorem, nihil scilicet aliquot hebdomadae diebus comedendi, extremis vitæ sue annis ex Confessarii obedientiâ nonnihil temperasse, frustulum nimirum mucosi panis, & paucas herbas tunc comedendo. Sed haud silendum Margaritam vel adeo severi, ac perennis jejunii exemplo, vel sua prece aliis etiam jejunandi virtutem infusisse. Anno 1664. in eo Cœnobio Monialis vivebat, quæ agrè admodum, nec sine magno labore jejunare poterat; Huic Margarita aliquando in aurem, & submissa voce dixit, *benedicat tibi Deus, & virtutem illam concedat, quæ Cœli saporem tribuit;* mirum dictu! ex illa hora Monialis nullam difficultatem sensit amplius in jejunando, imò libentissime quotidiè jejunasset, adeo verum est illud S. Basili M. *jejunium potentes roborat.*

Aliæ ejus Pœnitentiæ CAP. IV.

I. Nec intra hos fines ejus pro Deo patiendi ardor, & corporis affligendi studium continebatur: his enim gulæ cruciatibus gravissimas addebat pœnitentias; in cuius virtutis palestrâ ad ultimum usque Vitæ Spiritum egregiè desudavit. In flagella ita parata erat, ut pluries die, noctuque ter nempe, aut quater, & interdum quinques singulis diebus flagellis diutissime ad sanguinem semper se cæderet; ne autem aut ipsa hoc agens deprehenderetur, aut flagellorum iactus exaudirentur, loca identidem mutabat, nunc in Organo, nunc in Oratorio, sæpius in parva quadam horti Crypta dirissimam hanc, in se ipsam, carnificinam exercebat, quæ loca, præsertim Crypta, multo sanguine aspersa conspiciebantur; nam adeo valide, tantoque impetu flagella congerminabat, ac si ejus corpus, non caro, sed insensibilis quædam esset tabula, aut filex durissimus; plura idcirco flagella de funiculis, plures ferreas catenulas ad horribile hoc opus adhibebat. Moniales autem, aut miseratione ductæ, aut devotione, sæpe, cum possent, eadem flagella, & catenulas piè furabantur; quibus tamen deficientibus, Margarita precariis coronis, aut alia quacumque re, quæ dolorem posset gignere, & sanguinem elicere, se percutiebat, dum interim alia ejus generis pœnitentiæ instrumenta occulte obtineret, quibus propterea ferè nunquam carebat. II. To-

M II. Totum hoc parum erat ejus patiendi desiderio, licet jam tantum esset, super dolorem vulnerum, quæ flagella infligebant, addidit ciliciorum, & catenarum ad vivam cutem asperrium cruciatum; cilicium ferreum erat, ex acutis, ac prominentibus cuspidinibus compactum, quod ad nonagesimum ætatis annum semper gestavit, quodque lumbos, & scapulas punctionibus findens, adeo intrinsecus penetrabat, ut à superinductâ eidem carne fere totum cooperiretur; itaque in novissimâ ægritudine vix à carne divelli potuit, truncum tamen, & vi in frusta disceptum, & forficibus minutatim concussum. Præter hoc alia etiam cilicia ex equorum pilis, aliisque durioribus materialis contexta superinduebat. Itaque tum flagellis, tum ciliciis nullam corporis partem à vulnere vacuam, aut immunem relinquebat, insuper nudis pedibus super nivem, & gelu ambulans, & nudis etiam genibus diu ibidem orans, Cœlesti Sanguinum sponso reddere similem se gestiebat, *in quo à planta pedis usque ad verticem capitum non erat sanitas.* Sed hæc omnia Margaritæ paruum, aut nihil videbantur præ amoris in eundem Sponsum magnitudine.

III. Postquam à Xptō Domino sibi apparente præceptum accepit non amplius in lecto dormiendi, illud diligentissime observavit, in posterum super altarium lignea pedulia semper cubans, non tamen penitus distento corpore, sed incurvato, & contracto, aliquando in genua procumbens, brevissimum somnum capiens; cum vero urgente obedientiâ, præsertim ægritudinis tempore cubili uti cogeretur, nec tunc quidem ingeniosa ejus solertia, impositam sibi à Deo poenitentiam intermittebat; tabulam enim ad sui corporis mensuram super tomentum linteo, ne videretur, coopertam aptè collocabat, superque eam jacebat. Aliàs jussa lectum ascendere, parebat statim, sed paulo post ex eo desiliens, consuetas preces, & flagellationes in terra genuflexa repetebat; nulla enim ratione (post quam hoc illi Deus uetus) diù in lecto persistere, aut ibi somnum capere poterat, nam si id vel sponte, vel jussa tentaret, illico vehementi frigore, ac tremore corripiebatur licet æstivi calores ferverent, statim vero atque e lecto descendens in terram se prosternebat, frigore aufugiente, parvo quidem, sed placido sopore, ac quiete quocumque tempore fruebatur. Ex quibus perspicuè liquet magno eam, ac intimo sui, suique corporis odio percitam adeo severe, & acriter in illud veluti infensissimum hostem animadvertisse; quod sane odium inde etiam magis, magisque augebatur, postquam illi Deus proprii corporis naturalem deformitatem, & fæditatem ad vivum semel ostendit, omniaque damna, & detrimenta, quæ ipsum animæ infert, & nequitias omnes, & scelera, quæ contra Deum operatur demonstravit, præcipiens propterea, ut idem corpus tamquam malorum omnium reum, & causam severe cruciaret, & veluti vile mancipium semper opprimeret, & sub franco dure servitutis constringeret, ne umquam adversus Deum, & spiritum erigi posset: ex quanto tantum odii, horroris, & aversionis in corpus Margarita concepit, ut quavis adeo austè cum illo ageret, nihil tamen satis esse ad ipsum pro merito puniendum existimaret, doloretque semper non ita se in suo corpore dole-re, sicut optaret, & oporтерет.

IV. His accessit crebra Dœmonis infestatio, qui tanta Virtutis ardens invidiâ, illam, Deo permittente, fævissime percutiebat; nunc avernali impetu ad terram allidens, nunc faciem, & humeros livoribus fadans, ac plagiis cruentans, nunc, ut illi ægre faceret, specie pergrandium Murium eam proscindere dentibus tentans, nunc Oratorium, ubi preces Altissimo offere-

bat, aquis ad usque genua inundans, nunc denique lymphæ lustralis vasculum confringens, lucernam extinguens, lampadis oleum effundens, aliaque plura id genus incommoda illi inferens: & quod adhuc gravius erat, ac importunius, tum internis suggestionibus, tum externis speciebus ad impuros actus, & inhonestum creaturarum amorem voce, ac gestu, etiam indecrepitâ nonaginta annorum ætate eam provocans; quæ omnia tentandi ad meritorum famulæ suæ cumulum (ut olim B. Job, aliisque Sanctissimis Viris) Dæmoni vero ad majorem confusionem Deus facultatem concedebat; nam corporales quidem ejus molestias æquo animo, ac ridenti vultu Margarita transigebat, tentationes vero, & incitamenta ad turpia asperrimis pœnitentiis, quas paulo ante descripsimus, longè abigebat, & invictè superabat, gloriosum proinde de Satana ejusque fraudibus triumphum referens.

Ejus patientia CAP. V.

I. Nec in his solum, quas à Dæmone patiebatur, verum etiam in aliis ab hominibus illatis injuriis, & contumeliis eximiam patientiam comprobavit. Hæc enim ea virtus est, quæ à Bmo Apostolo, ad promissiones reportandas necessaria describitur, & à Xpō Domino tamquam prædestinationis certissimum signum proponitur, *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Margarita igitur ad altissimum illum patientiæ gradum pervenit, ut injurias acciperet, & gratias ageret, benedictiones pro maledictionibus redderet, & irrisiones, & ignominias sibi illatas donis, ac beneficiis compensaret. Fuit enim in eo Cænobio quædam Monialis, quæ istigante humani generis hoste, Organum, ubi Margarita jugiter orare, ac dormire solita erat, igni tradere statuerat, temere etiam de eadem identidem obloquebatur, dicens aliis Monialibus, *vultis cognoscere ejus hipocrysim, & clementiam Sanctitatem?* adeo vetula est, ut eam Deus nolit recipere, idoque adhuc vivit. At Margarita eandem Monialem velut insignem benefactricem obsequio mūeribus, aliisque blanditiis assidue prosequebatur. Alia Monialis fædum, ac fætidum strumarum morbum ad collum patiebatur, earum plagas, & saniem ex eis manantem Margarita magno charitatis affectu detergebat, eamque pro viribus sovere, ac solari conabatur: at Deo permittente, & Diabolo incitante, tantum odii in eam concepit, & amaritudinis, ut illam nec videre, nec pati ullo modo posset, crevitque eosq[ue] ejus animi alienatio, ut nec ipsius vocem quæ aliàs suavissima erat, in choro divinas laudes una cum aliis Monialibus canentis audire sustineret, quamobrem cum temptationi impar esset, sape saepius irâ percita, & obmurmurans è Choro exibat, conuicüs, ac probris eam onerans; quadam autem die Margaritam ex Organo exeunte datâ operâ expectans, eidem contumeliis, & minis gravissimis insultavit. Ad Dei famula ne verbum quidem reposuit, sed omnia illa convicia patientissime tulit; interrogata postmodum, an vere tot maledicta in se illa concessisset, respondit, eam excusans, *loquuta est, non objurgavit, aut exprobravit.*

Luc. 21.10.

Simile quid legitur in Vitis Patrum lib. 2. pag. 62. à tergo, de Eu logio Alexan drino, & te proso ingratiiff., & mole sius cui prop ter Xptum ille inserviebat.

II. Alia quoque Monialis ulcus adeò fætidum sustinebat, ut ipse met Chirurgus ob intolerabilem fætorem inde exhalantem ad eam amplius recusaret accedere. At Margarita invictâ patientiâ, & inexplebili charitate sensus omnes mortificationis myrrâ perungens, & condiens, annis pluribus, ad usque illius mortem constanter ei ministrait, ulceri medicamenta adhibens, linæas, & tenuissimas fasciolæ undique exquirens, & comportans, ut quantum fieri poterat mundam illam, & sanie tersam præberet. Sed ea Satani co stimulo urgente, & infirmitatis adeò atrocis tædio, ac dolore victa pro eo ut Margaritam, tanti beneficii memor, diligeret, illi detrahebat, & quo-

ties

M

Psal. 37. 15.

2. Cor 9. 7.

ties medicamenta, & solatia ei afferebat, injuriis, verbisque acerbioribus eam excipiebat, causans, quod non charitatis ergo, sed humanæ gloriolæ captandæ gratia, ut nempe Sancta ab aliis haberetur, ea sibi impendere gestiret. Quid ad hæc Margarita? Facta veluti homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones, opus adeò arduum fortiter, ac silens prosequebatur, imo quo magis illa indignabatur, & insolescet, eò Margarita majori studio, ac diligentia ei inservire curabat, nec umquam animum despondit, nec umquam manus ejus lassata sunt, donec illa ex hac Vita migraret, quavis eam ob causam angores plurimi, & peramari boli ei deglutiēdi forent, nam aliquot Moniales admodum delicatulæ, & abnegationis sui ipsius haud satis memores, Margaritam propterea stomachabantur, nec manus lavare in communi labello eam sinebant, valde inhonorifice, ac illiberaliter cum ea agentes, at illa, & cum sanient, & immunditias illas contrectaret, & cum opprobria reciperet, magnam præferebat lætitiam, & gaudium, illud semper animo reputans bilarem datorum diligit Deus.

III. Igitur cum persecutions, & calumnias pateretur, aut in ærumnas, & tribulationes varias incideret, tantum abest, ut dé iis doleret, aut conquereretur, aut eas à se avertendas optare, ut potius persequentes, & obtructatores suos beneficiis, & muneribus donatos vellet, illud frequenter inculcans, hominem, qui sese tentat à persecutoribus defendere, & tribulations, & afflictiones declinare, Deum, ejusque gratiam à se depellere; nam Deus homines patientes vult, & ut patientiâ æternæ Vitæ coronam adipiscantur: At Margarita nihil censebat adversa omnia patienter tolerare, nisi etiam in iis, mirum in modum gauderet; quod ipsum peculiariter Deus illi præceperat, ut ei scilicet saperet super mel, & favum tribulatio pro Xptō, & in infirmitatibus suis gloriaretur, quod cum illa quamam id ratione consequi posset, discere cuperet, Deus mirabilem quandam precationem eam docuit, cuius Virtute etiam si in frusta discerperetur, nec perturbari, nec à patientiæ semita deflectere, nec à summi boni unione, & contemplatione distrahi, aut dimoveri ulla vi umquam posset.

Ejus Humilitas CAP. VI.

I. Quám vero in ejus corde Humilitas virtutum omnium basis, ac parens profundas radices fixerit, inde cognoscitur, quod contemptus, & irrisiones veruti pretiosa dona, & insignia beneficia anxiè percuperet, & diligenter exquireret; idque tam cum privatam Vitam ageret, quam cum aliis supremo loco præcesset; tunc enim Moniales, ipsasque adeo Conversas, enixe rogabat, imò officii sui authoritate compellebat, ut se ipsam contemnerent, & injuriis, ac contumeliis afficerent; qua in re quamvis ad modum ægrè, nihilominus, ut ejus humilitati aliquatenus facerent satis, interdum morem gerebant, at illa maximam tunc lætitiam, & cordis jubilum ostendebat, solita afferere, cum opprobria reciperet, sibi videri perinde, ac si florum corona redimiretur; cum verò aliquando illæ actum tam ingratum, & inurbanum exercere abnuerent, tunc Margarita ab eis veniam petebat. Contigit id evidentius cum adhuc Antistita sorori Conversæ præcepit, ut se contumeliis, & injuriis impeteret; paruit quidem illa obediendi gratia, sed paulò post perperam se fecisse existimans, & vehementer dolens (non enim cogitabat, quod volenti non fit injuria) Margaritam interpellans, ecce, inquit, me cogis tecum adeò inique agere, & tam grande piaculum perpetrare? at humiliis Dei famula statim genua flectens, ejus pedes exosculans, ut sibi parceret, rogavit.

II. Vivebat tunc Viterbii Sanctitate celebris Monialis Hyacinta Marescotti So-

tor Comitis Vignanelli, & præclarissimi Cardinalis Galeatii Marescotti, qui nuper propè centenarius obiit, postquam nimirum juxta votum hanc Dei famulam arcto adeo consanguinitatis vinculo sibi conjunctam à SSmo Pontifice Benedicto XIII. in Beatorum album jam relatam vidisset. Hæc igitur acceptâ famâ, quæ de virtutibus, ac prodigiis Margaritæ Conradi percrebuerat, ad eam scripsit, *Sanctam appellans*, ab eâque orariam coronam devotionis gratiâ postulans, utque propria manu sibi rescriberet, exquirens. At Margarita hac de re ita contristata est, adeoque indoluit, ut palam profiteretur, se illi ne verbum quidem rescripturam, ne dum minimum quid fore missuram: Nec umquam cessabat conqueri, tamquam atrox aliquod vulnus sibi inflictum fuisse, quod utique veræ humilitatis indicium est, Psalmographo verbo, & exemplo docente, *Ego autem exaltatus, conturbatus sum, & humiliatus*. Sed cum imperatum ei fuisse, ut responderet, respondit quidem, sed paucissimis verbis, ijsque frigidis, & arentibus; alia autem Monialis, Cherubina nomine, Margaritæ sanguine propinqua, clam eam sacrum numisma ex ejus precaria corona detractum, Hyacinthæ misit.

M
An. 1729

III. Sincere, & ex intimo cordis sensu credebat se omnium creaturarum vilissimam, & abjectissimam, quamobrem cum ab aliquo male tractaretur, putabat id evenire ex cognitione à Deo illi indita suæ vilitatis, & indignitatis. Igitur pro calumniantibus, & persequentibus, tamquam pro charissimis amicis ita ferventer Deum exorabat, ut pro se ipsa precari pene oblivisceretur, ac insuper pavimento ab ipsis calcato, veluti terra Sancta esset, oscula frequenter ficebat. Cum ejus per id temporis Confessarius Christophorus Varasius multa de ejus Vita, ac rebus gestis ab ea identidem sciscitaretur, quæ postea ipse adnotabat, Margarita id subodorata, quodam mane ei dixit, sibi præterita nocte ostensum fuisse, nequorem se, & scelerationem inter homines tunc viventes reperiri neminem, & nisi in eo Cœnobio maneret, procul nimirum ab ijs periculis, in quibus sæculares personæ versantur, longe illis pejora se patraturam fuisse, quod si ipse, qui ejus confessiones audiebat, existimaret, se ipsam aliquid boni esse, egre admodum æternam salutem fore consequutum; idque evenit anno 1660. Quid nos ad hæc? nisi cum Apostolo ingeminate, ò quam incomprehensibilia sunt judicia Dei, & investigabiles viae ejus! & cum Psalmista; ò quam terribilis Deus in consiliis super filios hominum! à iudiciis ejus quis non timeat? quis superbire audeat? quis de se ipso præsumere? En quomodo Deus servos suos humiles cupit, & facit; totum à divinâ gratiâ sperare jubet, totum divinæ gratiæ tribuere, nostro ei arbitrio adhærente, sine cuius auxilio maximus etiam Sanctorum ipso Juda pejor evaderet. Simile quid Seraphicæ Theresiæ Deus ostendit, quod nempe si diutius cujusdam personæ quamvis honestam amicitiam coluisse, futurum erat, ut paulatim in desidiam, mox in gravissima scelera prolaberetur, ob quæ in Infernum sub ipso Lucifer detrudenda erat. Væ igitur illis, qui sponte, & clausis oculis tot periculis, & occasionibus Deum offendendi temere se, & quidem frequenter, exponunt, divini spiritus monitum haud attendentes; *Qui amat periculum peribit in illo*.

IV. Alio tempore dum varias peccatorum species in quodam libro legeret, quæ ab hominibus committi possunt, præfertim adulterium, erat mox intra se dictura, ego hujuscemodi peccatum non feci, cum ecce antequam id in cord proficeret, audivit vocem sibi dicentem, numquam fuit, nec erit, nec modo in universo Orbe reperitur creatura aliqua, quæ te magis peccatum hoc commiserit, vel sit commissura; nam alii quidem peccatum istud aliquoties corpore perpetrarunt, tu vero singulis momentis, in oratione, meditatione, divinis offi-

M „ ciis recitandis , & in plerisque aliis operibus etiam bonis faciendis, spiritu, &
 „ affectu adulteraris „ Item nocte quadam Nativitatis Domini rogans admitti
 inter Bovem , & Asellum , ut infantem Jesum adoraret , hoc responsum acce-
 pit , In præsèpio non esse ei locum , nam animalia illa ejus comparatione per-
 sonæ erant valde magnæ, & egregiis prærogativis spectabiles . Ita nempe hanc
 suam famulam Deus, licet nec levia peccata plenâ voluntate committeret, ob
 tamen aliquem levissimum quidem non adeò intense in eo laudando animad-
 versionis defectum, in humilitate continebat . Nimurum in divino judicio, cum
 ad examen ex rigore justitiæ humani actus revocantur, quæ nobis modo minu-
 tissimæ videntur atomi ; montes excelsi apparent : non enim justificabitur in
conspictu ejus omnis vivens ; Cœli in conspicuè ejus non sunt mundi, nam ut Ma-
 gnius Gregorius ait in illud Psalmographi, *Ego justitias judicabo , Justitia no-
 stra ad examen divinæ justitiae deducta injustitia est.*

V. Margarita igitur sic à Deo edocta, quam sibi necessaria esset humilitas opti-
 mè intelligens , ejus Virtutis actus, quam frequentissimè poterat , exercebat;
 interque eos , Monialium pedes osculari , etiam cum Abbatissæ officio fungen-
 tur, præsertim cum Sacram Eucharistiam sumebat, solemne habuit. Quan-
 vis ob hanc ipsam adeo profundam propriæ vilitatis cognitionem , & divinæ
 Majestatis in SSmo Altaris Sacramento latentis summam reverentiam , ad sa-
 cram mensam non auderet accedere , nisi semel in mense , idque ut Canoni-
 cis Sanctionibus obtemperaret , quæ Monachos semel saltem in mense sacro-
 sanctis mystriis refici jubent . Sed postea Patri Priolo Confessario suo morem
 gerens , quotidie caelesti pabulo yescebat , simul cum eodem maxima , &
 excellentissima dona à Deo recipiens; *humilibus enim dat gratiam .*

VI. Dum adhuc in vivis ageret, Moniales illas, quæ rerum suarum aliquid nove-
 rant , sibi promittere coegit , ne se etiam defunctâ , ea cuique nota facerent ,
 aut revelarent; cupiens nimirū ut earū memoria cum sonitu periret. Sed Mar-
 garitâ ad Coelos translatâ , cum Episcopus Amerinus Gaudentius Poli , An-
 gelum Blasi Ord: Eremitarum S. Augustini ad Cœnobium illud misisset , ut ri-
 te, ac ordine Moniales de rebus à Margaritâ peractis , ejusque virtutibus , ac
 miraculis interrogaret , & cuncta in literas referret , tunc omnes antequam
 vocarentur suapte sponte certatim ad eū accesserunt, quidquid de ea scirent,
 dicturæ . Illæ autem , quæ silentium Margaritæ spoponderant , fassa sunt , &
 si primùm apud se statuissent minimè accedere , intus tamen deinde compul-
 sas, & coactas fuisse conscientiam suam exonerare, mirabilia omnia ab hac Dei
 famula occultè gesta , in lucem proferendo , magni piaculi si diutius reticuis-
 sent , reas se fore arbitrantes ; ut hac etiam ratione illud Servatoris nostri in
 ea comprobaretur , *Qui se humiliat exaltabitur .*

Ejus Pietas CAP. VII.

I. Ex his facile intelli potest, quo pietatis sensu in omnibus suis actibus erga res
 divinas semper se gesserit; nam ut à Dei laudatione in Choro persolvendâ
 exordiamur, eam & ipsa summâ attentione, & reverentia complebat, & quam
 diligentissimè ab aliis complendam curabat. Ad Chorum omnium prima, Mo-
 niales alias semper vocabat , incitabatque , ut citè, & alacriter ad Deum lau-
 dandum properarent, imò etiam cum senectute , & infirmitatibns gravaretur,
 & vix posset amplius incedere, cum tamen ad Chorum pergendum erat, & illi
 jam appropinquaret , tanta celeritate ibat, ut volare potius , quam ambulare
 videretur, & scalarum gradus non quidem singulos singulis passibus, sed binos
 simul unico gressu ascenderet , divino scilicet amore corpori ipsi alas adden-
 te ; dicebatq: tunc aliis Monalibus, *currite, currite , nonne eos videtis, qui nos
 expen-*

expectant? ò quam pulchri sunt! citò, citò, incipiamus, nec eos diutius nos expectare compellamus: quibus verbis, & adhortationibus in causa erat, ut citius divina psalmodia inciperetur: credebatur siquidem Angelorum visionibus, ut plurimum frui, dum preces Deo funderet, præcipue dum sacram in Choro sinaxim celebraret; Imo alia Monialis, Maria Francisca nomine, nobili familia Racani, Margaritæ Sororis filia, aliquando in Odeo Margarita psallente dulcissimum quandam sonitum, velut Cithara, & Organi, exaudivit, qui ejus vocem tam suaviter comitabatur, ut Angelorum potius concentus existimari posset; idque eo prorsus tempore, quo ipsa nihil fere de Margaritæ sanctitate persuasum habebat. Alio tēpore eadem Monialis Margaritā vidi sublimē à terra inter nubes genuflexam, junctisque manibus orantem, videbaturque illi veluti altera D. Clara Assisiensis. Dum vero extremā detineretur infirmitate, identidem dicebat, *Si dominus id mihi concederet, post mortem pluries è tumulo libentissime exirem, ut divinis in Choro laudibus cum aliis Monialibus intereffem,* diciturque post obitum non raro fuisse audita clara, & distincta voce in Choro cum aliis spallere.

M VI

II. Erga sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum maximâ religione, & amore affiebatur; ideoque ipsis Sacerdotibus, utpote tanti Sacramenti ministris, veluti totidem Angelis præcipuam venerationem, & honorem exhibebat; Cum igitur quodam mane Sacerdotes aliquot in ejus Ecclesia sacra mysteria peragerent, Margarita Moniales sic compellare cœpit, *Venite, venite, in Ecclesia tota ad est Curia cœlestis, Ecclesia jam plena est, aspicite res tam pulchras, venite, venite,* Existimabat siquidem alias quoque Moniales eadem videre, quæ ipsa tunc videbat, cum nihil aliud præter Sacerdotes, & unum, aut alterum hominem in Ecclesia eo tempore existentem, intuerentur. At Margarita Moniales hortari non desinebat, ut Sacerdotibus in earum Ecclesia Sacra facientibus majores, quas possent, gratias semper referrent: quoniam *Sacerdotes (ajebat) omni obsequio, & officio digni sunt, veluti totidem Dii in terra: Ego dixi, Dii cœsis, & filii excelsi omnes.*

Pf. 81. 6.

III. Ad ipsum autem divinissimum Sacramentum, quanta præparatione, qua humilitate, quo amore accederet, difficile quidem dictu est: Sed ex uberrimo fructu, præcipuis gratiis, & pretiosissimis donis, quæ ex eo referebat, potest satis intelligi. Sentiebat etenim Christi Domini sub sacris speciebus contenti in suam animam ingressum tamquam Sponsi, qui post se animæ ostium claudebat, ut quietius, ac securius in ea jucundaretur, & mansionem dulciorem faceret: percipiebat quoque sensu suavissimos divinæ præsentia effectus per aliquot dies, donec ob aliquam licet levissimam imperfectionem eam amitteret. Ceterum sumpto Salvatoris nostri Corpore, præsertim in solemnioribus festivitatibus, apparebat facies ejus ignita, & pulcherrima, & oculi scintillantes & lucidissimi, veluti duo Cœli sidera, nec quisquam poterat firma oculorum acie vultum ejus tune intueri ob ingentem, qui inde emicabat, splendorum. Accedebat autem ad divinam mensam interdum quotidie, interdum semel in hebdomada, interdum secundo, aut tertio quoque die, prout ejus Confessarius illi permittebat, aut præcipiebat. Cum aliquando gravissimâ laboret infirmitate, & jam Sacros Eucharistiæ Viatico, deinde extremâ sacri Olei unctione esset munienda, licet corporis viribus omnino destitueretur, adeo ut Moniales, quæ eam supra lectum, sumendæ causa Eucharistiæ paululum exerant, & manibus sustentabant, haud parum timerent, ne propter eum corporis motum illico expiraret; attamen statim atque Sanctissimum Christi Corpus à Sacerdote allatum apparuit, è lecto velocissimè prosiluit, imo potius

M

velut Avis evolavit, sine ullius adjutorio, & super Cellæ pavimentum genua flexit, summâ omnium admiratione, ac stupore, verebantur enim ne quolibet momento spiritum exhalaret. Sed tunc quidem convaluit; Quoties autem in ægritudine coelesti dape reficiebatur, semper è lecto surgebat, & ad terram super genua se prosternebat, devotionem æque, ac humilitatem ostendens, & ferventissimum in tantum Sacramentum amorem.

IV. Nec minori devotione, & studio Dominicam Passionem, & Feria Sextæ diem, in qua illa peracta est, recolebat; ea igitur die Christi Domini vulnera mira attentione, ac pietatis sensu complures horas contemplabatur, & aliquandò unius tantum plagæ meditationi quinque horarum spatum tribuebat, obtinuitque à Deo (quod impensè optabat, & jugiter precabatur) ut ejus obitus Feria VI. Parasceves contingeret, in quam diem illo anno incidit etiā Festum D. Catharinæ Senensis, cuius pariter studiosissima erat, ejus mirabilis Vitæ historiam assidue legens, & æmulari strenuè satagens. Solebat autem dicere Sorori Lucia Pierantonii Conversæ,, Disce mea Soror Deo perfecte servire, quod quidem facillimum est, modo ejus SSimam Passionem frequenter cogites, & mediteris; hoc nullo negotio percipi potest; nam characteres, quibus Christi Domini Passio conscripta est, Clavi scilicet, & Lancea, ceteraque vulnerum ejus instrumenta, magni sunt, & ingentes, ideòque absque multo labore, ac studio videri, & intelligi possunt, & si vero corporeis oculis minime cernantur, sufficit tamen, ut conspiciantur oculis cordis, quotidie nimirum Christi Domini cruciatus, & dolores devote contemplando, qua ratione brevi admodum tempore haud modicum Dei lumen obtinebis, & in Sanctitatis schola plurimum proficies,, Ita Margarita ad Luciam.

V. Sed & aliis omnibus Monialibus persuasit, ut singulis sextis Feriis tum Adventus, tum Quadragesimæ, quinque continuis horis Dominicam Passionem contemplarentur orantes, quod pius institutum etiam post ejus mortem in eo Cœnobio perseveravit; Toto autem illo quinque horarum spatio Margarita genuflexa perstebat immobilis, & interdum facie ad terram prostrata, ut potius insensibilis quedam statua, quam vivens Corpus videretur. Dixit verò aliquando Patri Priolo Confessario, in meditatione Flagellationis Christi Domini se minime posse cogitatione transire ad secundum ictum, & interrogata ab eodem, qua de causa? respondit, quia doloris acerbitas vitam sibi ademisset; adeò nempe intimè erga Salvatoris Passionem affiebatur. Quidam sexta Feria in Parasceve, magnopere cupiens fellis amaritudinem cum Redemptore Crucifixo degustare, integrum repente fel in manu sua invenit, quo abunde amaritudinis sitim illam explevit, *inebriavit me absynthio*. Ceterum omnibus aliis sextis feriis totius anni, praeter frustulum panis, & absynthium in cibum, acetum vero in potum, nihil omnino sumebat, ut supra diximus cap. 3. n. 4. imo quo tempore Cœnobio præfuit, semper curavit, ut omnes Moniales, saltem parum quid absynthii in memoriam, ac honorem Dominicæ passionis sextis feriis manducarent. Expletâ autem sextis feriis Adventus, & Quadragesimæ nuper recensitâ quinque horarum meditatione, surgens Margarita ab oratione, ad osculandum Christi Crucifixi imaginem, quæ ut in Parasceve fieri solet, in terra supra tapetum, & pulvinaria decenter posita erat, procedebat. Hoc autem simulacrum alia Monialis, Maria Ursula Loaldi, pluries vidit brachia è Cruce divellere, ut Margaritâ amplexaretur, cui deinde præcipiebat, ut postea iisdem, ut antea, clavis se iterum Cruci affigeret. Præterea, antequam noctu ad Matutinum Officium in Choro persolvendum pergeret, Dominicam Passionem ex Evangelio recitabat. Cum vero ejusdem vi-

vificæ Passionis recolendæ gratiâ Scalam sanctam ascenderet, nudis genibus, & facie ad terram inclinatâ eam quasi rependo transibat. Itaque illud Augustini Manual. c. 22. semper in corde habebat, & in opere se habere demonstrabat
Tota spes mea est in morte Domini mei: mors ejus meritum meum & refugium meum, Salus, Vita, & Resurrectio mea: & Meditat. c. 14. Omnis spes, & totius fiduciae certitudo mihi est in pretioso sanguine ejus, qui effusus est propter nos & propter nostram salutem.

Ejus Oratio CAP. VIII.

I. Nec his tantum horis Deo preces fundebat, sed ejus Oratio assidua, & perpetua erat; nam post divinæ Psalmodiæ pensum in Odeo persolutum, ad celum rediens, in eaque semper consistens, sine intermissione orabat, Deum jugiter laudans, & gemitibus semper ex orans. Post Vespertas fere usque ad noctem genuflexa immobilis in Oratione perdurabat. Assiduitas igitur orandi, ejus genua in corona modum complanaverat, in cuius medio circulus rubri, ac flavi coloris admodum tuniens apparebat. Orabat autem aliquando distentis brachiis ad instar Crucis, & facie ad terram conversâ, sed tamen ita, ut nec brachiis, nec manibus, nec facie ullen tenus terram tangeret, sed tantum genibus, quamvis facie, brachiis, & manibus non amplius quatuor digitis à terra distaret, in quo corporis situ adeo incommodo, & dolorifico plures horas, & interdum totum diei dimidium fortiter orando persistebat, & quod humanis viribus haud possibile videtur, ita immota, ac si esset humi defixa, nec voc antem quamlibet audiens, nec trahentem per vestem sentiens quæ res maximam omnibus ingerebat admirationem; cum enim aliquot Moniales eodem modo, eademque corporis figura orare conarentur, brevi admodum tempore, nec sine magno cruciatu permanere sic poterant.

II. Integræ fere horæ spatio vespertinum officium præveniens, & ad Chorūm properans, ibi orando usque ad constitutum cum aliis psallendi tempus manebat; interrogata autem quodam die à Præ Confessario, quantum temporis somno indulgeret, *Duas saltem integras horas*, respondit, reliquum verò temporis totum Orationi dabat, nec enim umquam cum aliis confabulando immorabatur, nec relaxandi animi gratiâ minimum etiam temporis otiosè transigebat, nam divini Sponsi vox, quæ in ejus corde jugiter resonabat, eam à creaturis omnibus abducens, post se in odorem unguentorum suorum trahebat. Ejus propterea orationes Dæmonibus plurimum displicebant, omnem idcirco lapidem moventibus, ut eas impedirent, vel saltem alio averterent; quadam igitur die, dum Bñæ Virginis Rosarium devotè admodum recitaret, Dæmon irvidens, & irascens, magnum à tergo strepitum, & clamorem civit, ut orationem illam, vel relinquere, vel ad minus intermittere Margaritam cogeret: at ipsa immota, ac interrita perseverans, orationem continuavit, & Dæmonis astum delusit. At contrà, quam Deus Margaritæ orationes gratas, & acceptas haberet, multis demonstravit; cuidam enim, sua famulae Margaritæ Coccole nuncupatae in Cænobio Sanctæ Monicæ ejusdem Urbis Amerinæ Sanctimoniali revelavit, merito se Margaritæ Conradi orationum ablaturum omnia obstacula, & impedimenta, quæ ob ejus (Coccole scilicet) defectus, & negligentias tamquam murus sese interponebant, ne perfectam cum Deo unionem, & gratiam consequeretur. Ejus etiam precibus tribuendum, quod Sacerdos quidam antea projectæ Vitæ, ad meliora conversus sit, & bonorum operum aliis exemplar evaserit, quodque Soror M. Francisca Racani Margaritæ propinqua, è lethali morbo prodigiose convaluerit.

M

Solitudinis Amor CAP. IX.

- I. Ex hac orandi assiduitate ejus solitudo, & à creaturis omnibus recessus, & fuga necessario oriebatur. Numquam ad Crates accedebat, nisi urgente Pauperum, vel Ægrotorum necessitate, quos oleo, & aquâ benedictis, Sancti Dominici ab ea denominatis, inungens, mirabiliter sanabat. Cum vero ob eam causam Crates adiret, etiam in decrepita ætate, numquam sola, sed alia semper Moniali comitante, pergebat, ibique parvam admodum moram trahens, peracto illo charitatis officio, statim recedebat. Nunquam Cœnobium otii causa circuibat, numquam publico aliquo in loco stare conspiciebatur, præterquam in Choro, in Oratorio, in communi Cœnaculo, & in Valetudinario, semper ceteroquin solitaria, & ab omnium consuetudine, & colloquiis remota, vel in cella, vel in organo, vel in horti specu, ubi se flagellis dirissime cædebat, clausa consistens. Habebat quidem in eodem Cœnobio Sororem germanā, appellatam in seculo Misiam Conradi, & in Religione Franciscam. Sed Margarita utpote ab infantia penitus Deo dedita, & cum eo tantum in oratione prolixe colloqui assueta, nihil præterea curabat, ideoque ab ipsa etiam Sorore sua procul, & sejuncta vivebat, ut de ea pariter idem prorsus dici, quod olim D. Gregorius Magnus de SSmo Patre Benedicto scripsit, *Solus in superni Inspectoris oculis habitavit secum.*

Paupertatis Studium CAP. X.

- I. Paupertatem summopere adamavit; non enim solum superflui nihil umquam admisit, quod quidem Monachis omnibus Voti religione interdicitur, sed nec rem ullam, quantumvis necessariam, qua uteretur, apud se aliquando retinuit, sed quidquid illi maxime opus erat, etiam sudariolum, etiam capitis velamen, ne dum alias vestes ad corpus tegendum, ab aliis Monialibus, modo scilicet ab una, modo ab alia, eleemosinæ loco queritabat. In ejus cella prærer unam, aut alteram sediculam, & parvum abacum, & nonnullos libros spirituales, nihil conspiceres. Sorori quidem Susannæ incumbebat cura ab Antistita ei imposita, vela, sudaria, linteal, aliaque omnia necessaria providere, ac parare, & Margaritæ qualibet hebdomada afferre, sed illa eam Susannæ diligentiam, & studium pro se ægre admodum ferebat, cum id in nimium sui commodum cedere arbitraretur. Quidquid autem ipsa ex labore manuum lucrabatur, statim Cœnobii utilitati, vel Sacrarii ornamento dicabat, nihil pro se emolumenti inde percipiens.
- II. Ceterum nil ardenter avebat, quam vivere æque, ac mori in communi vita, ubi nempe ad præscriptum Regulæ, ut in primitiva Ecclesia, & in primordiis cujusque Regularis Ordinis, non esset meum, ac tuum, sed omnia reipsa communia, & de rebus communibus unicuique distribueretur, prout cuique opus esset, quod genus Vitæ quam Deo placitum, & hominibus tranquillum sit, omnium seculorum experientia comprobavit. Id illa frequenter puellis sæcularibus suadebat, ut in eo Cœnobia se Deo consecrarent, ubi communis vita observaretur; Itaque ejus monitis obtemperans Maria Theresia Venturelli Nobilis Amerina, è Monasterio S. Catharine ubi educabatur, egresa est, & in Cœnobio S. Joannis Evangelistæ, in quo communis Vita adhuc obtinet, Monialis fieri voluit. Sed Margarita quamvis nec acum quidem, ut peculiariter sibi addictum retineret, sed omnia necessaria, ut diximus, ab aliis eleemosinæ loco toties reciperet, cum tamen ab aliis Monialibus ei dicerebatur, quod ipsa in vera paupertate, & vita communi viveret, nihil sane respondebat, sed tamen nares digitis obturabat, innuens nimirum proprietatis fatorem quendam se nihilominus eo in loco sentire.

Divini Honoris Zelus CAP. XI.

I. Ad hæc, aliaque his similia illam impellebat divini honoris, & Monasticæ perfectionis, quo æstuabat, ferventissimus zelus, cuius plura, eaque illustria dedit specimina. Dum Antistitæ officium gereret, aliquot Monialibus, quæ in generali Cœnobii supplicatione simul jurgatæ fuerant, cum aliarum gravi perturbatione, & scandalo, postquam eas in publica aula, in qua Moniales juxta morem omnium Cœnobarum, culpas suas coram omnibus solent accusare, acriter redarguisset, præcepit, ut illicò detractis calceis, ve-
loque capitis deposito, unâ illarum Crucifixi imaginem manibus extollente, reliquis duabus hinc inde comitantibus, supplicationem iterum celebrarēt, Psalmum *Miserere* alta voce recitantes, ut sic honor, cuius modicam adeò rationem habuerant, simulacro Salvatoris Crucifixi redderetur, & à Monialium cordibus scandalum auferretur, eoque pacto veniam impetrare possebant; quod totum illæ sine ulla cunctatione exequutæ sunt. Alio tempore, idem Cœnobii regimen adhuc tenens, cum quædam Moniales invicem contendentes, discordias sererent, & aliis molestias crearent, jussit Margarita, ut è vestigio carcer mundaretur, & disponeretur, quatenus intelligerent, ni cessarent, in illum eas se detrusuram, quo timore correptæ numquam post hac invicem rixatæ sunt. *Zelo zelata est pro Domo Israel.*

Ejus Obedientia CAP. XII.

I. Nec minus tamen promptè, & expeditè parere, quam prudenter imperare solita erat. Ejus igitur obedientiæ mirabile sane exemplum hoc solum proferam: Antiquus in illo Cœnobia mos obtinebat, ut in pervigilio D. Firminæ, Urbis Amerinæ Advocatæ, ac Patronæ, quod pariter est eodem die D. Catharinæ V., & M. ejusdem Cœnobii Tutelaris, jejunium in solo pane, & aqua inviolatè ab omnibus toleraretur; Margarita autem, hora panem comedendi adveniente, corporalis cibi penitus oblita, divinæ tantum dedita erat contemplationi; Cum ecce quædam Monialis coctum pyrum decorticans, *Forstian Abbatissæ.* ut infirmæ edendum porrigeret, Margaritam interrogavit, ecur etiam ipsa consuetum panem non comederet? at illa virtutem suam humiliter celans, simpliciter respondit; quia mihi videor panem minime posse me deglutire; quo responso auditio Monialis existimans hoc ex nausea, & stomachi fastidio Margaritæ contingere, pyrum illud medium secuit, alteramque ejus partem Margaritæ tradidit, dicens accipe, & comede una cum pane: at illa nihil morata, nec de consueto jejunio in pane, & aqua quidquam recognitans, frustum illud pyri statim comedit, cumque illud adhuc dentibus manderet, sentit insoliti adeò saporis suavitatem, ut nullius creatæ rei comparatione eam posset umquam exprimere: Dum autem stupens perpenderet, quidnam rei esset, aut unde suavitas illa, & delectamentum oriretur, vocem in imo corde sibi dicentem audivit. *Hi sunt dulcissimi obedientiæ fructus.*

Ejus Simplicitas CAP. XIII.

I. His autem Virtutibus, quæ magis ad Serpentis prudentiam pertinent, decor, & ornamentum omnium aderat, Columbae simplicitas. Per hanc enim, quæ intimè cordi ejus inhærebat, omnes alios eadem, qua se ipsam, mensura metiebatur, imo omnes alios longè se meliores existimabant, quapropter persuasum omnino habebat alias etiam Moniales easdem, quas ipsa, visiones videre, præsertim cum Angelos, aliosque Sanctos in Ecclesia, vel Oratorio conspicuos haberet. Dum igitur Visiones, & Gratias, & insignia adeò dona sibi à Patre lumen communicata narrabat, minime id animadvertebat, sed veluti de rebus aliis omnibus communibus, & notis loquebatur. At

*Capitulum,
dicunt.*

M

quan-

M quando ea quæ dicebat , prudenti animo considerans , tamquam sibi specia-
liter revelata , ab aliis quoque intelligi cognoscebat , illicò narrationem ab-
rumpens , sermonem alio avertebat. Itaque creditum est , Deum ipsum ad lo-
quendum hisce de rebus eam pluries impulisse , & incitasse , ut sciremus , quot ,
quantisque charismatibus à Deo esset cùmulata , ejusque Pœnitentiæ , ac bo-
norum opérum exempla aliis imitando proponerentur . Sanè hac eadem cor-
dis , ac mentis simplicitate divinum jugiter in corde , ac mente colloquium
promeruit , nam cum simplicibus sermocinatio ejus .

Extases , & Illustrationes CAP. XIV.

- I. Hoc autem colloquium Deus per extases , & raptus à corpore illi potis-
simum præstítit ; nam corporei sensus impares omnino sunt ad divina , ut o-
portet percipienda. Porro extases , & raptus Margarita habebat admodum fre-
quentes , & tantum non quotidianos . Maria Hyacintha Venturelli in eodem
Cœnobio Monialis vidit aliquando Margaritam in parvo quodam horti facello
diutius orantem brachiis extensis , & nulla corporis parte solum tangentem ,
& postquam longo tempore admirans , eam sic manentem fuisse intuita , veri-
ta ne Margarita ad sensus tandem reversa , id agnosceret , & agrè ferret ,
tacita abiit , & eodem , quo eam deprehenderat modo , ibi reliquit . Soror
quoque M. Ursula Loaldi noctis tempore vidit in Oratorio Margaritam ante
Sanctissimi Crucifixi imaginem extensis pariter brachiis preces fundentem ,
& haud parvo intervallo à terra elevatam ; quod illa videns timore correpta ,
silens secessit , præstolans nihilominus foris , ut inde exiret ; sed denique
eam vidit , non quidem ex Oratorio , ubi extaticam illam reliquerat , sed
ex Organo exeuntem , qui locus est admodum ab Oratorio dissipatus ; idque
magnam admirationem , & stuporem Ursulæ ingessit ; quæ deinceps Marga-
ritæ Sanctitatem impensius venerabatur .
- II. Dum interdiù manuale aliquod opus conficeret , repente toto corpore im-
mobilis , oculisque in Cœlum defixis videbatur , quo tempore nec opificium
prosequebatur , nec si aliquid ei diceretur , respondebat . Ad se autem post
longam moram reversa , dicebat sociis ; *Videamus nunc , quæ nostrum plus ope-
ris interea absolverit ?* Evidens autem erat ipsam multo minus reliquis ma-
nibus lâborasse , cum diutinè extra sensus fuisse ; & nihilominus ejus
opificium longè majus ceteris apparebat , licet hæ continuo , & sine inter-
missione operi incubuissent , Deo nimurum Margaritæ manus dirigente , &
operibus manuum ejus benedicente , ut crescerent , & aliarum opera valdè
transcenderent . Quodam mane cum Sacratissimum Christi Corpus sumpsisset ,
in Cellam gratias actura fese recepit , & paulo post à supra laudata M. Ursu-
la Loaldi vocata ad horam nonam Canonica m in Choro persolvendam , nam
ejus signum minime audierat , visa est vultu adeo venusto , ac rubicundo , ut
neutiquam pro eadem , quæ prius fuerat , agnosceretur : Itaque Loalda
extra se raptam Margaritam putans , & haud sui compotem , comitata est
illam ad chorum usque , manibus eam sustentans , non enim poterat liberè ,
& expeditè ambulare , quamobrem ad omnes gradus , quibus ad Chorum
ascenditur , casum minabatur , ac si eos numquam ascendisset , ruborque
ille ignitus faciei totius Horæ non spatio perduravit .
- III. Dum aliquandò ejusdem Loaldæ manibus subnixa incederet , subito ejus
manum deserens , magno impetu se longius proripuit tanta velocitate , ac si
alis prædicta volaret potius , quam ambularet , statimque genibus flexis , &
facie , ac manibus ad terram prostrata reperiebatur , credita ptopterea
Deum tunc videre , & adorare , ab eoque maximâ cordis latitiâ perfundi ,
qua

M

qua intuentes exhilarabat; Aliquandò inter Moniales consistens dicto citius ex earum oculis evanesceret, rursumque, cum abesset, ex insperato inter eas aderat, absque eo quod quanam venerat via dignosci posset. Aliquandò contradictiones, & persecutioes quasdā dū pateretur, visa fuit ab eadē M. Ursula, & ab ejus sorore M. Agata Loaldis sublimis per aerem ferri, nulla sui parte corporis terram tangens, & sumimā celeritate ad suam cellam deportari.

IV. Quodam Sabbato majoris Hæbdomadæ invitavit eandem Mariam Ursulam, ut multo ante diluculum evigilans, Regem gloriae à mortuis resurgentem, simul videre mererentur; quod cum fecissent, *eamus, eamus*, inquit Margarita, *ut Redemptoris triumphum intueamur*. Euntes igitur in Ecclesiam ad orandum, vident Loalda Margaritam brachiis extensis plus palmo à terra elevatam, & paulò post eam audivit sibi dicentem, *cito eamus, eamus, & organa pulsemus, nam Christus jam surrexit*, ipsaque folles elevabat, & Loalda organa sonum reddere cogebat. Moniales autem sonitum organi hora adeo intempesta, die non adhuc illucescente, audientes plurimum admiratæ sunt. Alia item vice, eodemque Paschatis die valde mane, dum in organo oraret, magnum audivit terræmotum, statimque ex organo exiliens Monialem vocavit, ut organa percuteret, ipsâ ut antea, folles suis deque impellente, eratque vultu ingenti pallore suffuso, & veluti extra se ipsam, sed paulò post serenata facie admodum hilarem se ostendit: quamobrem creditum fuit, eodem prorsus temporis momento resurgentem Redemptorem iterum ab ea visum.

V. Die 2. Novembris, qua Fidelium omnium defunctorum commemoratio recolitur, Sanctissimam Eucharistiam sumere cupiens, quam antecedenti die Sanctorum omnium solemnis sacro, pariter sumperat, timore, ac reverentia detenta, dicebat intra se, *nimas indecens est Deum tam crebrò in cordis hospitio recipere*, at illicò vocem hanc audivit, *Deus sum, & tamen venio*; statimque in aera fuit sublata, & maxima spiritus exultatione perfusa, divinique amoris deliciis undique repleta. Ceterim ita à terra elevatam diu eam persistere soepe s̄epius Moniales viderunt, præsertim festis diebus solemnioribus. Anno 1661 die 12 Junii, in quem inciderat festum SS̄m Trinitatis, ineffabili animæ suæ jubilo Sacratissimum Christi Corpus suscepit, dumque una cum aliis oraret, ter in aera elevata est, totoque illo die alienata à sensibus, & veluti extra semetipsam in cella permanens, vident, audivitque tanta, ac talia, quæ nec hominum mentes capere, nec eorum linguae explicare ullatenus possunt: edoc̄ta item fuit, inter varios Deum laudandi modos, hunc etiam præstantissimum esse, Deum per admirabilem thronum suum invocare, conspexitque incomprehensibilem illam, divinamque Majestatem sedentem super solium excelsum, & elevatum, & ad gratias, & munera eo die hominibus dispertienda paratissimam, dummodo humili, & contrito corde, ut par est, ea postularent: tunc Margarita adeo propitiâ occasione utens, quendam sibi notum, ac benevolum Deo commendavit, ut eum in numerum servorum suorū cooptare dignaretur; statimque hoc responsum recepit; oportet, ut etiam ipse pro virili satagat, quò gratiam tanti momenti consequi mereatur.

VI. Eodem anno 1661 die 18 Decembris, quæ Dominica dies erat; cum divinissimum Eucharistiae epulum degustasset, tanto intus gaudio, & spirituali exultatione fuit cumulata, ut eam intra se capere nullo modo posset, totoq; illo die sensit se identidem à terra elevari, & extra se rapi, atque à sensibus alienari; quod idem soepe s̄epius ei contigebat, præsertim ijs diebus, quibus ad sacram Convivium admittebatur; tunc enim tota in Deum immersa, & veluti in eum transfusa ineffabili spiritus exultatione fruebatur, & plura, ea-

M

que ingentia arcana cœlestia auscultabat, quæ nullis hominum verbis narrare poterat; non enim licet ea homini loqui.

Visiones, & Revelationes CAP. XV.

- I. Non solū autem in hujusmodi animi à Corpore avocationibus, sed aliis quoque temporibus plura secreta, tum quæ ad mysteria fidei, tum quæ ad res humanas pertinent, ei Dominus revelavit: Quia vero Dei famula Sacramentum Regis abscondere bonum esse, optime noverat, ideò quæ sibi siebant nota se. creta cœlestia, studiosissimè occultabat, quo factum est, ut plurimas à Deo illi traditas revelationes nesciamus; nihilominus aliquando vel timore errandi, vel dubio an deciperetur, vel quia simplicitate ducta, eas crederet omnibus manifestas, & conspicuas, vel denique proximos juvandi gratiâ, paucas quasdā ex multis à Patre lumen acceptis revelationibus aliis communicavit. Patri Priolo Confessario suo dixit aliquando, Magos Christi Infantis in præsepio adoratores, nullis conceptis verbis Deiparam Virginem, cuius maximâ capti fuerant admiratione, tunc salutasse, quia parem, ejusque meritis dignam salutationem invenire non potuerunt; silentio igitur, ac stupore sumnam in eam venerationem testatos esse. Evangelistas leviter admodum Salvatoris Passionem tetigisse, & satis parcè de eo loquitos fuisse; mox Theologicum sermonem pulcherrimum, ac valde sublimem instituit, de Divinitate, Essentia, ac Trinitate divinarum Personarum, Verbi Generatione, ac Spiratione Spiritus Sancti (ut nempe idem Confessarius dignosceret, an ijs, quæ dicebat, error aliquis inesset) idque adeò appositè, verbisque propemodum Scholasticis, & rei congruentibus, ac si complures annos sacræ Thæologiæ fuisse Magistra, solita exinde identidem exclamare, *o bone Iesu substantia Patris; o bone Uesu substantia Patris.*
- II. Die 8 Septembbris, qua Nativitas Bñæ Mariae Virginis celebratur, contemplanti Margaritæ magnitudinem incomprehensibilem, & inestimabiles Deiparae prærogativas, dictum fuit, Fideles ea ipsâ die gratias omnes, & dona obtinere posse, quæcumque devotè petiissent; nec in Cœlis majores umquam gratias concedi solitas, quam illa die, intellexitque, prout tamen potuit, magno animi sui gaudio, quot & quantæ nam sint ejusdem Beatissimæ Virginis excellentiæ, & dignitates innenarrabiles. Die autem 25. Novembris apparuit ei D. Catharina V. & M. candido, ac frequenti Sanctorum Virginum choro sociata; sciscitabatur itaque Margarita alias Moniales, an ipsæ quoque eandem tutelarem Virginem in Ecclesia vidissent. Dum in cella consisteret orans, ostensa ei fuit valde perspicue animæ pulchritudo, splendor, & præstantia, & ex opposito Corporis foeditas, deformitas, ac foetor, ex quo Margarita implacabile odium contra suum corpus conceptum numquam postea depositus, sed ad mortem usque retinuit, severissimis illud, quos supra retulimus cruciatibus affligens, & lanians.
- III. Cum quinquagesimū circiter ætatisannū ageret, noctis tēpore in organo, de more, Deo preces fundens, à Iuvene pulcherrimo, ac lucidissimo sibi apparente, ad Ecclesiæ cratem, ubi Moniales sacra mysteria percipiunt, fuit ducta, eique dictum, hic subsiste, nam res stupendas videbis, & admirabiles; & Ecce Ecclesiæ janua nullo impellente aperitur, ecce plurimi venustissimi Juvenes, velut agmine composito, in morem supplicationis bini, ac bini ex Ecclesia Cathedrali S: Firminè procedunt, & transeuntes ante januam jam patefactam ejus Ecclesiæ, ad aliam Ecclesiam Monialium Sancti Joannis haud inde longe distantem ire pergunt; duo autem ex illis Iuvenibus deferabant manibus Capsulam non adeo parvam; qui cum pervenissent ad D. Catharinæ ostium

ostium constiterunt, & eandem capsulam recludentes, extraxerunt inde complicatum pannum purpureum, & adjuvantibus aliis duobus Iuvenibus, qui subsequebantur, cum illum explicassent, & extendissent, visa est ejus dimidia pars miro artificio opere phrygio (imò verò Angelico) auro, gemmisque contexta, alia vero medietas rudit adhuc, nulloque ornamento conspicua; mox involuto, ut antea, panno, & in eadem capsulâ reposito, supplicatio illa dispartuit, Ecclesiæque janua iterum clausa. Margarita autem in Organum reversa ad consuetam orationem, Deum exoravit, ut tam admirabilis visionis intelligentiam sibi concederet. Cognovit igitur pannum illum symbolum esse suæ ipsius Vitæ, quæ tunc in medio ætatis versabatur, anteriorem partem acu pietatam transactos ejus annos exhibere, aurum, & gemmas tam pulchro opificio simul permixtas, opera pietatis, & virtutum actus exprimere. Sed necessarium adhuc esse opus absolvere, ijsdemque operum bonorum actibus ad finem usque perducere. His, alijsque visionibus, ac revelationibus eā Deus illustrabat, & ad prosequendū in eo vitæ proposito adeo aspero, ac duro eam confortabat.

IV. Vedit alio tempore manum pulcherrimam, & venustissimam, quæ erat dextera, sibi cor è pectore auferentem, sine quo aliquandiù vixit; ut infrà latius dicetur. Scèpissime dum sacrosanctum Missæ Sacrificium in Ecclesia, & divina sinaxis in Choro celebraretur, Angelorum, & Sanctorum turmas in Ecclesia videbat, dicebatque aliis Monialibus, existimans, ut aliás, quod ipsæ quoque idem viderent, *Videtis modo hanc multitudinem, & frequentiam? Videtis quam pulchri sunt, & decori?* Orans in Organo die 20. Iulii D. Margaritæ V. ac M. sacro, quo ejus festum peculiari devotione celebrabat, & plura Missarum sacrificia in ejus honorem offerri curabat, vedit Personam pulcherrimam, & ineffabili majestate plenam, maximum undique splendorem emittentem, quæ illam in amænissimum viridarium deduxit; de cuius Personæ pulchritudine, majestate, & claritate nihil postea effari potuit, sed solum in stuporis, & admirationis actus identidem profiliebat: adeo autem lucida, & splendida ex illius visione, & consortio evasit, ut Moniales non possent in ejus faciem ex organo exeuntis intendere.

V. Orans aliquando Deum pro quodam Sacerdote, quem spirituali charitate prosequebatur, ut illum sibi gratum, verumque famulum redderet, & ab omni malo, & periculo liberaret, tale à Deo accepit responsum: *Non potest meus verus esse famulus, nisi ille, qui libenter pro me patitur persecutions, & adversitates æquo animo tolerat, & opera bona facit.* Loquens cum Patre spirituali doctrinâ præstanti, dicebat intra se, *Pater hic admodum doctus est;* statimque in corde responsum hoc audivit; *Utique, sed primam Alphabeti litteram nescit;* quod ipsa optimè intelligens, eidem explicavit, primam Alphabeti spiritualis litteram esse *Amorem Dei.* Cum Moniales ejus jussu generalem dominici Corporis communionem peregissent pro anima nobilis Matronæ Amerinæ ex familia Clementini, quæ D. Catharinæ Cœnobio annuos redditus attribuerat, & Margaritæ orationibus secommendaverat, quadam die eadem Matrona ei apparuit nigra palla induita, veloque cœrulei coloris operta caput, eique dixit; *Nunc ad Cœlos ascendo, & plurimas tibi gratias ago pro orationibus, & sacris communionibus pro me, tuā operā, oblatis.* Vedit etiam Sororis M. Ioannæ Clarævallis triduo post ejus mortem animam igneo curru vectam, sed tamen intellexit, locum æternæ salutis eam obtinuisse, ob solitudinem, & diligentiam, quâ ad Deum in Choro laudandum vivens pergebat, quod exemplum Regulares omnes, & Ecclesiasticæ personæ studiosè debent attendere, & imitari.

MVI. Cum defuncta esset Monialis Juvenis adhuc, Maria Agnes nomine, illustri familia Cansacchi, quæ dum viveret, ut plures aliæ ibidem Moniales, non quidem Monasticā toto corpore tunicā, sed muliebrē strictrorē thoracem, ut solent sacerulares mulieres, nigro licet colore, sub scapulari gerebat, dum in Ecclesia pro inferiis supra feretrum jaceret, vidi Margarita Dœmones hinc inde feretrum pluries à terra elevantes, ac deinde in suum locum reponentes, quam visionem duabus aliis Monialibus, Mariæ Floridæ Carleni Nobili Amerinæ, & Sorori Cæciliae patefecit. Hac de causa Margarita fortiter, & suaviter persuasit cœteris Monialibus, ne deinceps hujuscemodi thoraces deferrent, sed unaquæque regularè tunicam sine illo thorace gestaret; quod usque in præsens in eodem Coenobio, & utinam ubique, inviolatè servatur. Creditum tamen fuit, Deum, qui indignatum se ostenderat contra eas Moniales quæ vanis illis, ac Sacerularibus vestibus utebantur, precibus Margaritæ, & earumdem Monialium emendatione, placatum tandem fuisse. Ex quo serio advertendum est, non solum Monialibus, sed Regularibus etiam omnibus, quantum ipsos dedebeat, & quantum Deo displiceat, quælibet in eorum vestitu vanitas, & cum sacerularium vestibus similitudo, & conformatio, & aliæ omnes vanitates, quæ sacerulum, & sacerularium personarum mores, & habitus redolent, quæque Regulares Viros semilaicos, eodemque tempore semiclericos reddunt, sive ut verius dixerim, nec Clericos, nec Laicos, sed Chymeras quasdam, & Hircocervos efformant, quod olim D. Bernardus, præ humilitate, de se ipso afferuit, sed longe justius plures Deo dicati homines, sed ad Ægyptiacas vanitates corde, & opere postea revertentes, de se ipsis fateri debent: *Ego quædam mei saceruli Chymera, nec Monachum gerō, nec Laicum.*

VII. Dum Antistitiae officio fungeretur, jussit, ut quædam Monialis, ob nescio quam levitatem, panem tantum, & aquam in terra genuflexa comedederet. Hæc primò quidem renuit, nec obedere tunc voluit. Sed postea nocte adveniente, melius consulta, sponte injunctam pœnitentiam peregit, quæ absolutâ dixit Margarita, Dœmonem se vidisse scapulis ejusdem Monialis insidentem, eamque instigantem, ne pœnitentiæ opus exequeretur, qui proinde eā obedientia victus, confusus ausugit. Vidi aliquando ante Monasterii fores hominem satis deformem, ac miserum, qui bestiarum more inmunditias omnes foetidissimas cujusque generis lambens comedebat. Oranti autem Margaritæ pro rei hujuscce intelligentiâ revelatum fuit, hominem illum adeò infelicem typum esse Peccatoris vitiis ex consuetudine dediti, & ijsdem obruti, ac demersi. Cum ex hac vita Moniales transibant, Margarita earum animas, ut plurimum ad Cœlos evolare cernebat, Inter quas anno 1665. vidi animam Catharinæ Gertrudis Sororis Conversæ, dum ei justa persolverentur, splendore circumfusani ad Cœlos subvolare. Vidi quoque animam puellæ sacerularis ex nobili familia Geraldini, in domo parentum defunctæ, cujus amita erat Soror Susanna in Coenobio Sanctæ Catharinæ Monialis, candidâ quidem veste induitam, sed sine auro, aliove ornamento, sciscitantique causam responsum fuit, *quia Innocentia candorem habet, sed operum aurum non habet.*

VIII. Alio tempore dum in organo, ut solebat, orationi incumberet, iamque fessis artibus quietem aliquam datura, in terram se vellet prostertere, duo pulcherrimi Iuvenes accensa funeralia manibus gestantes ei apparuerunt, eamque ad ianuam Colloquitorii deduxerunt, quæ patefactâ, vidi longissimâ plurimi personarum supplicationem, Sacerdotum, Monialium, Laicorum, dictumque ei fuit, animas illas piacularibus flammis tunc ereptas, & ad Cœlum euntes, eas prorsus esse, pro quibus ipsa antea oraverat; nam animas in Purgatorio

gatorio detentas juvandi summo studio flagrabat, non solum preces, sed proprii etiam corporis cruciatus Deo pro illis offerens: Læta igitur Margarita adeò pulchrâ visione, eliminato somno, orationis exercitium ferventius resumpsit, & ad diem usque continuavit. Cunctis Monialibus in Choro existentibus, Soror Cherubina Margaritæ familiaris, & multorum sermonum, & consiliorum ejus conscientia repente exclamavit, *Gaudete ò Matres, quia hodie Salomon transiit ad Cœlum*, & hoc sàpe repetebat. Cum igitur Soror Cherubina propè Margaritam tunc consisteret, intellexerunt Moniales, hanc tanti momenti revelationem, Cherubinam à Margarita hauiisse. Sanè in Auctario ad *Bibliothecam Manualem* Pr: Thobiæ Lohner Soc: Jesu tit. 121. pag. 415. n. 25. Ven. apud Hertz. 1722. Vocabulo *Purgatorium*, habètur hæc verba, Romæ „ Concionator quidam insignis, inter concionandum afferuit, nuper cùdam „ Sanctæ personæ revelatum esse, Salomonem ad hæc usque tempora acres „ pénas in Purgatorio subiisse, & jam iis absolutis abiisse in Cœlum: obiit „ autem Salomon juxta Salianum anno ab Orbe condito 3059. ante Cristum „ 994. adeoque in Purgatorio sic fuit annis bis mille sexcentis. Citat Prém Cornelium à Lapid. in Lib. 3. Reg. Cap. II.

Res valde notabilis, & curiosa.

Gratiae, & favores à Deo illi concessi. Caput XVI.

- I. Has autem Visiones, & Revelationes non levioribus, nec minus stupendis gratiis, & favoribus amantissimus Dominus cumulavit: Habebat enim in primis sere semper visibilem comitem, Angelum Dei pulcherrimum, qui quantò plus Margarita spiritualia exercitia, & opera bona exercebat, eo majori gaudio, & exultatione gestire videbatur, quod sanè donum Margaritam D. Cæciliæ, ac D. Franciscæ Romanæ, aliisque Sanctis, qui ejusmodi beneficio, ac favore à Deo dignati sunt, similem reddidit. Hanc insuper peculiarem gratiam à Deo obtinuit, ut quæcumque scire optaret, sive in humanis rebus, sive in divinis, ei clarè, & aperte demonstrarentur: Anno igitur Jubilæi 1650. cum quidam vehementer cuperet, compertum habere, an Deus sua sibi indulisset peccata, ob idque Margaritæ se commendasset, ut rem à Deo quereret, & illa Deum propterea exorasset, hoc ab eo responsum accepit, *Ignovi Petro*: ex quo intulit, Deum huic quoque homini pepercisse: Quotiescumque Sacrosancto Eucharistiæ epulo reficiebatur, difficile dictu est, quot blanditias, quot amplexus, quot in anima oscula, quot in mente jubila, quot in corde gaudia, quot denique Charismatum dona à Coelesti sposo reciperet, quæ ipsa nullis verbis explicare deinde poterat. Aliquando ipsum Xpti Dñi Corpus Eucharisticum adeo ineffabilem dulcedinem super mel, & favum ipsius etiam corporis sui palato, omnibusque sensibus infundebat, ut ejus similitudinem in quibusvis rebus creatis invenire non posset, nec sermone ullo ejus dulcedinem exprimere.

- II. Noctis tempore apparuit ei Christus Jesus ea specie, ac forma, quâ à mortuis resurrexit, & ipsa oculis suis teroccurrens oculis illius clentissimis, & divini amoris ignem undique spirantibus, intimâ ejus charitate statim vulnerata, vehementissimum superni amoris incendium inde concepit, quo cum idem etiam corpus exardesceret, nec jam hoc ferre posset, cogebatur hymnis quoque tempore frigidissimo caput extra cellæ fenestram ad refrigerium emittere, & cum nec id sufficeret ad conceptum ardorem mitigandum, è cella profilire, & sub dio, nive cadente, longo tempore permanere; sed quæ nix, quæ glacies ignem de Cœlo missum temperare posset? Nil ergo mirum, sitanta quotidie faceret, tantaque patereetur pro dilecto animæ suæ, ex quo ille Margaritam in Cellam vinariam amoris sui introduxerat, & in ejus corde arden-

*Vide S. Am-
bros. lib. de
Isaac cap. 3.
babet, & os
anima &c.*

Mardentissimam ordinaverat charitatem. Hic enim amor, qui teste D. Augustino *difficultatis nomen erubescit*, ipsi etiam corpori vires addebat, & robur, nam cum poenitentias adeò asperas, jejunia adeo arcta, flagellationes adeo cruentas ad sehectam usque protraxisset, tantum abest, ut debiliatem aliquam virium incurrerit, ut potius eo adhuc vigore polleret, quem in juventutis flore obtinuerat. Omnia igitur in eo poterat, qui illam sui amoris igne suavissimo ad ardua quæque fortiter subeunda confortabat.

III. Quoties dulcissimum Jesu nomen ore suo proferret, toties, in corde, velut in cava quadam spelunca audiebat idem nomen, tamquam echo respondentie statim explicatè referri, quæ quidem vox ineffabilis omnes cordis ejus affectus, omnes potentiarū ejus actus ad se ipsam tāquam ad centrum ad instar magnetis trahebat: Tunc verò amantissimus Jesus ejus animam tenerrimè aplexabatur, eique gaudia, & exultationes innenarrabiles communicabat, relinquens in ea cœlestem quandam tranquillitatem, puritatem, & munditiam, quæ Virginum Sponsum maximopere decent. Si tamen aliquando remissius, nec usitatâ attentione, & conatu SS̄mum Jesu nomen enunciaret, prænarrati effectus minimè tunc subsequebantur, nisi bis vel ter majori adhuc intensione, ac vi adorabile illud nomen congeminaret. Anno 1634. cum Sacratissimum Christi corpus sumplisset, totius animæ suæ viribus, majori quam solebat fervore, nitebatur spiritum ad Dei contemplationem, & unionem erigere, cum vocem sibi dicentem audivit, *non opus est, ut sic labores ad inveniendum me, quia propè te sum, tecum sum, in corde tuo inhabito, & in eo requiesco.* Anno 1660. die 10. Augsti, quâ Festum SS̄mi Laurentii M. recolitur, sumpto in cœlesti Sacramento pignore salutis æternæ, divino amore inflammata, Deo in corde suo dixit, *o Domine quantum me diligis?* statimque respondentem vocem audivit. *Diligo, & diligam semper.*

IV. Alio tempore dum Sacerdos in Missa verba illa repeteret, *Domine non sum dignus*, Margarita magno cordis sui sensu intra se dicebat, *At ego quidem nullatenus sum digna*, quibz verbis expletis, delata ei fuit invisibili dextera Sacratissima Eucharistia Hostia, quam ipsa devotissimè sumens, inæstimabili gaudio, & consolatione fuit repleta. Dum Julius Geraldinus Cathedralis Ecclesiae Archidiaconus, & Coenobii S. Catharinæ Confessarius Missam coram Monialibus celebraret, peracta consecratione dividens sacram Hostiam, vidit ejus particulam è patena exeuntem, & paulatim sese ad aera sublevantem, & ad organum usque, ubi Margarita orabat, ascendentem, ibique in ejusdem Margaritæ os ingredientem, qua de re tantam Julius admirationem, & stuporem concepit, ut absolvendi Missam vix modum invenire posset; remansitque illi deinceps ea consuetudo, dum Sacram Hostiam partiretur, vertendi se ad organum, videndi gratiâ, an Hostiæ particula ad organum subvolaret. Sanè aliis etiam temporibus visâ est SS̄mæ Hostiæ particula eodem modo ex altari discedere, & ad locum, ubi Margarita orabat, vel in organo, vel in Sacrario, pertingere, & in ejus os introire. Contigit id manifestius, & celebrius quodam mane, dum Pr. Priolus Confessarius Vir inculpatis moribus, & probatae vitæ, Monialibus Sacram Eucharistiam ministrabat, tunc enim M. Magdalena Venturelli puella, & quædam alia Moniales viderunt sanctæ Hostiæ particulam magnis splendoribus circumfusam, fulgentissimos radios circumquaque emittentem per Ecclesia Cratē volando in Sacrarium intrare, & in os Margaritæ sese introducere. Dum vero hæc ad recipiendum SS̄mum Christi Corpus os suum aperiret, visus est, veluti Sol splendidissimus exoriri, & clarissimâ luce locum illumimplere.

V. Alio

V. Alio tempore Missam laudato Patre Priolo celebrante, post Hostiæ elevationem, Margarita ab Organo repente prosiliens, cœpit festinanter currere, ita ut aliquæ dicerent, *Videte quomodo insanit, nec erubescit sic inespire*: at illa ad rotam, quæ in Ecclesia est, incunctanter pergens, invenit ibi sacræ Hostiæ particulam valde rutilantem, quam etiam vidi Soror Cæcilia, quæ tunc Sacrarii curam gerebat; Itaque Margarita intra rotam caput immittens, os suum aperuit, & SSm Christi corpus reverenter sumens, ad Organum reversa est: Sed ea die neque visa amplius fuit, nec cum aliquâ quidquâ loquuta, nisi cum Deo, quem strictè adeò tenebat in corde, nec eum ullatenus dimittebat. Alio tempore dum in Choro Lectiones divini Officii recitaret, vi-sus fuit à M. Domitillâ Nacci, nobili Amerina, ibidem Moniali, in Margaritæ digito annulari sinistræ manus annulus aureus mirifici fulgoris, qui Domitillæ oculos suo splendore perstringebat, quæ visio tandiu duravit, quamdiu Margaritæ lectiō. Alio tempore, cum Scalam Sanctam, quæ in eo Cœnobio est, genibus ascenderet, in ejus medio apparuit ei Christus Dominus Crucem super humeros bajulans, cui Margarita compassionis sensu commota, dixit, *O Domine ego meis peccatis, Crucem hanc humeris tuis imposui*: Ut autem erat erga pauperes, & infirmos summo charitatis affectu prædita, hanc quoque gratiam à Largitore omnium bonorum in eorumdem beneficium obtinuit; ponebat sub dio plura vascula, in quæ Æther liquorem quandam demittebat statis horis, hunc Margarita diligenter collectum, & servatum infirmis præbebat, eo illos inungens, qui sanabātur omnes à quacumque detinerentur infirmitate.

VI. Sed inter omnia illi ab amantissimo animarum sponso præcipui Amoris tradita indicia, illud quam insuetum, tam admirabile, & supra humani intellectus captum eminuit, quod non nisi à summo naturæ Conditore, & rerum omnium Arbitro profici sci poterat; nam Christus Dominus ex ejus pectora adhuc viventis omnipotenti sua dextera cor avulsi, & octo continuos dies sibi retinuit, post quos illud Margaritæ restituit, & suo loco reposuit; ò quam purum! ò quam mundum! ò quam cælesti amore inflatum! Eo igitur tempore, quo Margarita divinâ virtute corde caruit, imo cor suū in manu Domini habuit, dicebat identidem Sorori Cherubinæ, *vivere ne potest quisquam sine corde?* illa autem respondente, *minime*, subjungebat Margarita, *¶ tamen sine corde vivitur*; sentiebatque eo pectoris loco, unde cor ei ablatum fuerat, maximum ignis ardorem, veluti è fornace exeuntem, remansitque etiam recepto corde in sinistro pectoris latere rubra, & sanguinea cicatrix similis quidem stigmatibus D. Francisci, carens tamen dolore, sed splendida, & pulcherima, sicut eam vidi stupens Soror M. Ursula Loaldi, de qua plures supra mentionem fecimus.

Eius Prophetiæ Spiritus CAP. XVII

I. Ad hæc Prophetiæ Spiritu Dominus eam afflavit. Cum ejus Soror germana Francisca Conradi die Dominico ad Vesperam paululum ægrotans lectulum ascendisset, statim adfuit Margarita, dixitque Monialibus, ut sine mora Confessarium accerserent, quia de ejus Sorore jam actum erat, brevique eam fore morituram. Visa est monitio intempestiva; nec Moniales, nec ipsa quidem infirma id ullatenus credebant; non enim morbus gravis admodum videbatur, cum levis tantum febricula agnosceretur. Vocatus nihilominus est Confessorius, cui Francisca integrè, & diligenter admodum, & contrito corde peccata confessa est. At Margarita urgebat, ut reliqua Sacra menta incunctanter illi ministrarentur, quia, dicebat, *mors magnis itineribus appropinquat, jamque adeſt in januis*; sicuti revera contigit, nam tertia die, postquam ægrotare cœperat, feria nimisrum quarta, animam Deo reddidit. Prædixit Ægidium

M

Delphini tunc Laicum, quem antea numquam viderat, Sacerdotem futurum, & Coenobii D. Catharinae Confessarium, eique se res suas, cordis scilicet sui secreta, patefacturam, quod idem de Petro Leonini prænunciavit: sicuti utriusque suo tempore evenit. Fulgentius Carleni nobilis Amerinus Romanum petitus accessit ad Margaritam, ei gratias acturus pro orationibus, quas ab eo rogata per Confessarium, nesciens tamen quæ de causa, Deo obtulerat. At Margarita constanter ei dixit. Vade latus, nam Romæ Victoriam obtinebis; ivit, Uxorem duxit, quæ Victoria appellabatur: Securam quoque esse jussit Uxorem Gubernatoris Amerini Boccaleonis cognomine, promittens ei, gemmas sibi paulò ante ablatas restituendas fore. Nec post multos dies cuidam Fratri Ord: Min. Reformato, ex Conventu Sancti Ioannis Ameriae omnes traditæ sunt, ut eas memorata Hera secretò restitueret, & quod mirabilius est, fures illi numquam aliæ quæ abstulissent, reddere consueverant, eidemque Dominae, quæ plures annos antea sterilis fuerat, sobolem copiosam, & optimæ spei vaticinata est, quam illi paulò post largiri Deus cœpit.

II. Morabatur in eodem Coenobio puella nobilis ejus Sororis filia, ex familia Racani, M. Francisca nomine, ut pluries supra diximus, quæ octavum ætatis annum dum ageret, Monialibus tradita fuerat educanda; Hæc adhuc adolescentula, & nedum Monialis, solebat aliquando; ut ejus ætatis pleræque, mendaciola quædam Margaritæ proferre; Verum hæc, quæ ejus cordis intima, ipsasque animi propensiones probè noverat, bis eam percussit dicens, *Non est ita, mendacium dixisti;* & quodam die dum M. Francisca aliam puellam injuriâ afficeret, prelato fuit Margarita, & ei alapam inflxit, jubens ut ab illa puerâ veniam peteret, ejusq: deoscularetur pedes. Videbat enim omnes ejus actus die, noctuque, eamque arguebat non solum de erroribus jam ab illa patratis, sed præmonebat etiam antequam illos patraret. Cum Soror Benedicta Morelli Conversa, Patriâ Tudertina pluries ad Margaritam accederet, quærelas quædam adversus aliam ei narratura, antequam os aperiret, ostendebat Margarita, se omnia jam scire, eosdem prorsus actus, quos illa, dum sola consisteret, faciebat, adamassim referens, ac si cordis penetralia, ne dum exteriores ejus actiones semper videret. Cuidam puellæ Interamnensi, quæ in eodem Coenobio educabatur, cum hæc quodam mane, una cum aliis, Sacram Eucharistiam sumpsisset, dixit Margarita, *Filia nisi scandalum aliis ingerere timuissim,* nequaquam, ut ad divinam Communionem accederes, *tibi permissem,* Et hujusc rei causam tu ipsa nosti. At illa conscientiæ suæ sinus diligentius perscrutata, ingenuè fassa est, occultum quoddam peccatum, solique Deo notum, in Sacramentali exomolegesi reticuisse, nec parum erubuit.

III. Idem ferè egit cum alia puella, Moniali quidem, sed adhuc in Tyrocinio constitutâ; sàpè enim eam hortabatur, ut Generalem Confessionem, & sane integrè, ac perfectè perageret; se enim omnia ejus conscientiæ occulta probè nosse, clare affirmans: Hæc autem puella in præteritis Confessionibus quædam Sacerdoti absconderat, quæ irritas easdem Confessiones reddiderant, & quanvis pluries statuisset ea Confessario pandere, nihilominus rubore victa, & Diabolo istigante, ea in corde retinebat, nec ore promebat ad salutem. At Margarita ejus miserta, quodam die ad Confessarium suis illam manibus pertraxit, impulitque, Dei aspirante gratiâ; ut abjectâ omni cunctatione, depositâque inconsultâ & intempestivâ verecundiâ, generalem, & integrum omnium peccatorum Confessionem, Margarita haud longe adstante, tandem absolveret. Quid autem mirum si Margarita adeo perspicue humanorum cordium videbat occulta, cum ejus spiritus, divini Amoris operâ, unus cum Deo spiritus jam evass-

evaſſet; qui enim adhæret Deo unus ſpiritus cum eo eſt; ideoque licet absens corpore, ſpiritu tamen pluribus, & locis, & temporibus, quin imo & cordibus, & mentibus præſens erat. Triduo antequam moreretur, lecto decumbris, brachia identidem ſublevabat, & manibus caput ſuum tangens, dicebat, o quantum mali caput hoc meum patietur; Circumstantes Moniales minime dictum hoc Margaritæ intelligebant, ſed poſtea agnoverunt, illam prævidiſſe, caput ſuum ſecundum poſt mortem fore, cerebrumque inde extrahendum ſicut evenit; Hoc nimirum Prophetiæ donum eſt, quod homines Deo ſimiles reddit; annunciate, quæ ventura ſunt, & dicemus, quia Dii eſtis vos.

Miracula ab ea patrata. CAP. XVIII.

M

I. At magnis ſuis ſervis, præter Prophetiæ donum, etiam miraculorum gratiam, præſertim curationum, Deus elargiri ſolet. Margarita ſiquidem pluri-
mis, tum vivens, tum poſt obitum effulſit. De primis nunc dicendum. Anno
1666. Faber Lignarius ab Aigliano cum jamdiu aſperrimis, ac intimis crucia-
retur doloribus, adeo ut interdum p̄e eorum acerbitate ad terram ſeſe deji-
ceret veluti mortuus, ſtatim atque à Philippo Placidi accepit, & ſecum detu-
lit fruſtulum cinguli, quo Margarita uſa fuerat, integrā ſanitatem confe-
quutus eſt, & fabrilibus deinceps laboribus ſine ullo dolore incubuit. Infan-
tula jam deficiens, & tantum non mortua, quia lac ſugere minime poterat,
delata ad Margaritam, ab eaque tacta, & SS̄m̄ Crucis formā signata ſtatim
convaluit, lac frequens ſuxit, diuque vixit, optima gaudens valetudine. Alia
puella Maximilla nomine filia Imperiæ Loaldæ Amerinæ quatuor circiter an-
norum, ulcere in fæmore correpta, quamvis Romæ, ubi ejus Pater medici-
nam profitebatur, à perito Chyrурgo pluribus adhibitis medicamentis, non
ſolum ſanitatem non obtinuerat, ſed insanabili carcinoma ulcere tandem ef-
fecto, eāque duodecim fere annis dirè cruciata, mortis jam termino appro-
pinquabat; cum acceptā famā ab ejus Matre, quæ de Margaritæ Sanctitate per-
crebuerat, Ameriam deducitur, & ſemiviva Margaritæ offertur: Hæc com-
passione, ut ad hujusmodi res solebat, mota, puellæ ulcus oleo, quod S. Do-
minici, ut ſupra diximus, appellabat, inunxit, ſudario ſuo, candidoque pro-
prii capitis linteo obſtrinxit, & intra paucos dies perfectæ ſanitati reſtituit,
quæ uti sancte, ſi convaluiſſet, promiferat, Monialis sanctæ Claræ in Cœnobio
D. Elisabethæ ejusdē Urbis Amerinæ fieri voluit, vocarique Soror M. Cæleſtis.

II. Idem fere contigit Ludovico Ancajani, qui cancero in alvo ſerpente ad mor-
tem adigebatur; jamque à Medicis conclamata fuerat ejus ſalus; Verum orationib-
us Margaritæ commendatus, eo pestifero morbo liberatus eſt, diuque poſtea optima valetudine uſus, ſupervixit. Mulier rustica Amerinæ Diœceſis,
brachio debilitata detulit filium ſuum fere novem annorum, mutum à Nativi-
tate ad Margaritam, ejus apud Deum precum ſubſidium pro fe, illo que po-
ſtulans. Hæc poſt brevem Orationem, ſignatumque Crucis imagine puerulum
in fronte, in ore, & in pectore ſupra cor, & inunctum tam ipsum, quam Ma-
trem oleo S. Dominici, præcepit Muto, ut Dominicam Orationem, & ſaluta-
tionem Angelicam recitaret; quod cum ille incunctanter feciſſet, linguæ vin-
culo penitus diſſoluto, nulloque impedimento deinceps remanente, Mater
dum ſtupens ingens, ac insuetum miraculum, manus ad Cœlum tendere na-
turali operatione conatur, Deo pro tanto beneficio gratias actura, eodem
temporis instanti brachium ſuum ab omni languore, & debilitate liberum ſen-
ſit, cumque genuflexa Margaritæ etiam gratiarum actionem habere vellet, ab
humili Dei famula, quæ hominum laudes ſummo ſtudio declinabat, ut Deo
tantum gloriam daret, monita eſt, & ut nemini rem geſtam narraret, jufſa;

L

ſtatim-

Mstatimque clauso Colloquutorii ostio Margarita aufugit, humilitatis videlicet Magistrum egregiè imitata, qui infirmis sanitati à se restitutis silentium sui ipsius strictè imponebat.

III. Alia mulier haud satis honestæ vitæ venit ad Monasterium S. Catharinæ incurabili morbo detenta, enixè rogans, ut Margarita, solitâ erga omnes charitate utens, eam videre, ac signare dignaretur. Renuit quidem ad eam descendere Margarita, sed Sororem Conversam Luciam Pierantonii misit, ut parum olei S. Dominici ad eam deferret, quâ uncta pristinam sanitatem recepit: & Interamnam, ubi Nutricem agebat, reversa, per quendam Ameriam euntem, plurimas gratias Margaritæ egit, pro recuperatâ ejus meritis valetudine. Filia nobilis Viri Hieronymi Clarævallis Tudertini ætatis annorum duodecim a Veneficis, & Sagis penitus deformata, & omnibus membris debilitata, adeo ut ejus crura gracilia, & tenuia veluti funiculi, nullo modo apta essent ad ambulandum, nec ad unum quidem gressum ponendum; ducta ad Margaritam, ab eâque in omnibus membris enervatis tacta & eodem oleo uncta, & interrogata, an Monialis fieri vellet, respondensque, hoc prorsus unicum sibi votum esse, redditâ Genitori, ac bene sperare justâ, quod nempe citò citius foret ambulatura, & perfectâ valitudine gavisura, eodem die, quo Tudertum reversa est, ad Vespertas suapte sponte liberè ambulare cepit, vixitque postea integrâ sanitatem, & robustis viribus.

IV. Oblata etiam ei fuit puella infirma, vultu scabie, & leprâ undique obducta. Hanc Margarita in simplicitate ambulans, consolandi tantum gratiâ suâ manu tetigit: recessit illa cum suis Ductoribus; sed paulò post omnes redierunt, gratias agentes, quod puella, dum redirent, sanitatem recuperasset, quâ de re Margarita admodum contristata est, non quidem ob sanitatem puellæ, sed ob suam, uti ipsa dicebat, temeritatem, propter quam manum sibi præcedendam ajebat; adeo imprudenter puellæ vultui à se admotam; nam infirmos omnes, quos sanabat, ne sibi virtus aliqua adscriberetur, oleo S. Dominici inungebat. At nos hoc in prodigio laudatâ Margaritæ modestiâ, raram ejus, & nonnisi magnis Dei famulis ab eo concessam virtutem possumus agnoscere, qui ut D. Gregorius M. Dial:lib.2.cap.30, & 31, animadvertisit, signa non solum ex prece, sed aliquando etiam ex potestate sibi à Deo inditâ facere solent, quemadmodum idem S. Doctor in Apostolorum Principe agnovit, qui Ananiam, & Saphiram non orando, sed increpando morti tradidit, & in SSmo etiam nostro Patriarcha Benedicto, qui rusticum à Gotho loris arctissimè vintum, non oratione aliquâ præmissâ, sed solo oculorum obtutu, & quidem repentino, vinculis statim absoluit. Anno 1646 sanitati restituit Bernardinam Loaldi puellam in Coenobio S. Catharinæ degentem, quæ ex lethali lapsu, in utrâque aure audiendi sensum amiserat, inungens illam oleo S. Dominici. Mariam quoque Ursulam Loaldi Monialem, cujus scœpè mentionem fecimus, quam ob costas duas, & pectoris venam, ex gravicaſu, disruptas brevi morituram Medici pronunciaverant, Signo Crucis Margarita penitus in columnem reddidit. Sed numquam huic narrationi finis imponeretur, si cuncta à Margaritâ adhuc superstite patrata miracula singillatim referre voluntas esset. Innumerî enim sunt cujusque generis infirmi, variis morbis, ac languoribus detenti, qui Margaritæ ope mirum in modum pristinam sanitatem recuperarunt.

Eius Mors. CAP. XIX.

I. Sed jam tempus advenerat, quo pretiosa hæc Margarita à divino Mercatore in thesauris cœlestibus reponeretur. Vixerat Margarita annis 95, (vel ut alii afferunt 105) ex quibus 90 summâ sanctitate, ac pœnitentiâ in Monasterio

sterio transfeget. Senio itaque, ac voluntariâ corporis maceratione confecta, seu potius superni amoris igne dulciter consumpta, vitæ mortalis termino appropinquabat; aliquot enim, antequam è corporis ergastulo educeretur, mensibus, sentiens se aeterni sponsi flammis vehementius accendi, cupiensque ardentissimè jam dissolui, & esse cum Christo, eumque revelata facie in gloriâ contemplari, identidem exclamabat, *Dominus meus, & Deus meus, ignis æterne, ignis æterne*; ac jugiter Sacros Hymnos, & Davidicorum Carminum versiculos repetebat. Octo autem ante mortem dies requisita à quadam Moniali, quid sibi cor portenderet de futuris quibusdam rebus, *ecquid vis cor meum prænunciet*, respondit, *cum cor non habeam?* ex quo intelligimus, haud semel illi à Deo cor è pectore avulsum, ut illud in suis manibus servaret, ei- que longè purissimum, & Seraphico amore inflammatum, & virtutibus eximiis ornatum restitueret. Morti jam proxima, hæc ejus vox sœpius audiebatur, *eamus, eamus, & dicentibus Monialibus, volumus nos etiam tecum venire*, illa respondebat, *nequaquam, neminem mecum volo, neminem, rursumque, eamus, eamus in lectum;* & cum illæ subjungerent, jam in *lecto recumbis*, Margarita subridens tacebat, similis nimirum mulieriforti, *quaer ridebit in die novissimo.*

II. Paulò antequam expiraret, prævidit, prædictique *lectum grandem*, ut ipsa appellabat, id est stratum transitorium ejus cadaveri excitandum; *ò lectus ille altus! Facietis res illas tam pulchras ad Dei gloriam!* Moniales autem nihil horum intelligebant; nam ea omnia facta ei quidem fuerunt post mortem, sed jussu, ac voluntate Episcopi Amerini Gaudentii Poli. Cum jam animam ageret, oculos aperiens, eos in Cœlum defixit, erantque adeò splendidi, ut duo potius Coeli sydera viderentur, & intuentibus lætitiam, & gaudium afferebant: ejus autem facies usque è pulchra tunc apparuit, ut potius Angelici, quam humani vultus speciem referret. Demisit denique ad terram oculos, leniterque subrisit; eoque in actu animam Deo tradidit anno 1666. die 30 Aprilis hora diei 19: eo scilicet momento quo Christus Dominus pro mundi sa-

*Feria VI.
post Pascha.*

Iute è Cruce pendens, spiritum in manus Patris emisit, cuius nimirum Dominicæ Passionis Margarita, ut supra retulimus, devotissima semper fuerat, sicut etiam D. Catharinæ Senensis, cuius festum eadem die 30. Aprilis celebratur.

III. Mortuæ cadaver, dum, ut moris est lavaretur, præter lateris vulnus illi à Deo impressum, ostendit etiam quatuor alias plagas sibi ipsi dum pœnitentias acrius exiceret, variis in corporis partibus infictas: quinque itaque vulneribus Crucifixi Imaginem propius exprimebat. Vestibus post hæc corpus decenter, ut fieri solet, operuerunt, quibus aptè dispositis, Crucifixi parvum simulacrum, ut in eo Cœnobio consuetudo obtinet, supra ejus cor posuerunt; cum ecce (res valde mira!) idem ejus cor, quamvis jam mortuum, emotum tamen est, & longo trium horarum spatio velut ebulliens magno impetu vestes, & illam ipsam Crucifixi Imaginem, motu quodam successivo sursum, ac deorsum impulit, ut folles moveri solent. Ita cor illud Dei amore adhuc caleans, dilecto suo Deo Crucifixo se vicinum sentiens, magno gudio adhuc gestiebat, illud Regii Psalmographi in se ipsa demonstrans, *Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum;* nam Dei viventis simulachrum erat adorable illud signum. Delatae postea ad cratem Ecclesiæ interiorem, Moniales omnes manus exosculatae sunt: Inter illas Maria Scholastica Clementini nobilis Amerina, dum Margaritæ manum osculum ei datura sua manu apprehendit, sentit, ac videt, Margaritam licet mortuam, manum suam movere, eaque ipsius M: Scholasticæ manum fortiter stringere, ac si adhuc in vivis esset, adeò

Mollis, ac flexibilis erat; quod prodigium Mariæ Scholaisticæ animo tantam admirationem, simul, ac lætitiam ingessit, ut præ dulcedine plures, ac plures dies à lacrymis temperare non posset.

IV. Dum in Ecclesia supra feretrum jaceret, omnium oculis exposita, Fr: Angelus Blasi Baccalaureus ex Ord: Erem:D. Augustini, de quo aliás mentionem fecimus, cap: videlicet 6. n.6. qui postea iussu laudati Episcopi Amerini Gaudentii Poli Moniales omnes de Vita, & Virtutibus Margaritæ, juris ordine servato, interrogavit, hic inquam, Margaritæ in tumulo jacentis faciem, splendescere, tamquam Solem, vidit, & ejus caput candidâ laureolâ auro purissimo intermicante circumdatum, eodemque tempore cœlestem quandam suaveolentiam sensit, quam etiam quotiescumque earundem Monialium de Margaritæ Sanctitate excipiebat testimonia, quotidie in eadem Ecclesia olfecit: quadam autem die, quo ibidem Missam pro ejus animâ celebrabat, illius memoriam inter vivos recoluit, minimè id animadvertisens, nam etiam in mortuorum *Memento* eam collocavit; Utrâque autem vice tam ipse, quam minister, qui erat Olimpiades Artemisii, dulcissimum veluti Organorum sonum supra Margaritæ sepulchrum audierunt. Ceterum die 2. Maii, biduò scilicet post ejus obitum, jubente sepe laudato Episcopo Amerino, ab Episcopali Cancellario, & à Generali Vicario Francisco M. de Rubeis Senogallensi recognita fuit cicatrix supramemoratae plagæ sub sinistrâ manillâ longitudinis quatuor circiter digitorum, præsentibus infrascriptis testibus, Ursino Archileggi, & Conrado Ursini nobilibus Amerinis, qui plagam illam luce meridianâ clarius viderunt.

V. Eodem, quo expiravit momento apparuit Sorori Margaritæ Coccoles Moniali in Cœnobio S. Monicæ ejusdem Urbis Ameriæ (cujus supra meminimus cap. 8. n.2.) quæ etiam ipsa magna Dei famula erat, eamque ex nomine salutans, dixit, se ex hoc mundo jam transisse, & Dei gratiâ tunc in Cœlum ascendere, ut in æternum eo potiretur, ac frueretur, eam vehementer exhortans, ad penitentiam agendam pro peccatorum conversione, & salute, loco enim sui ad id eam in terris relinquere; mox eadem Sanctimonialis vidit Margaritam ad Cœlum veluti subvolantem evanescere. Remansit autem postea alia hæc Margarita ingenti cordis lætitia, ac pace, intimâque cum Deo unione perfruēs, quæ ratiōe incōprehēsibili haud paucos dies in ejus anima perseveravit. Non semel post obitū fuit visa in Choro consueto Monialis habitu propriâ occupans sedem, tamquam adhuc in vivis esset, auditaque est cum aliis psallere: ex eo autem loco ubi ejus vox audiebatur, sicut ex ejus cellulâ suavissimus efflabat odor. Interdū etiam audita est flagellis se cädere simul cum aliis Monialibus communiter se flagellantibus, & Psalmum *Miserere* una cum aliis concinere; adeò nimirūm penitentię fuit amans, ut ab eâ neque post mortem, & jam beata posse cessare quodammodo videretur.

Quædam post ejus mortem subsequuta miracula. CAP. XX.

I. Anno 1667. cum Soror M. Benedicta Pocciamaggiore frondes fictas rosarum, quas Moniales arte faciunt, viridi colore depingeret, forte accidit, ut gutta acerrimi liquoris, quem ad illud opus ex æris ærugine, Ruta, & acetō conficiunt, in ejus oculum caderet, qui propterea intolerabili adeò dolore, ac tremore cruciabatur, ut brevi crederet sibi oculum disrumpendum; sed admotis læso oculo aliquot defunctæ Margaritæ capillis, illicò dolor cessavit, & ictu oculi ille oculus sanatus fuit.

II. Anno autem 1703. venit ab Urbeveteri Ameriam, & ad Monasterium S. Magni, ubi ego ipse hujus Vitæ descriptor Confessarius Ordinarius Monialium

M

lium nostri Ordinis, & Cong. tunc eram, Magdalena Danielli Urbevetana, Conjur Philippi Petrucci ex eadem Civitate, aetatis annorum 48., cum ejus Filio Francisco annorum 20., & me ipsum requisierunt, mihi dixit eadem Domina, se ideo Ameriam venisse, ut Deo, ac ejus famulæ Margaritæ Conradi grates rependeret pro insigni beneficio, intercessione, ac meritis ejusdem Margaritæ à Deo impetrato; nam cum ab annis quatuor pessimum in crure ulcus pateretur, quod more Cancri serpens ex uno in alium locum, acerbos cruciatus, & dira spasmata illi afferebat, cibo, ac somno interdictis, tandem mense Augusto ejusdem anni 1703. aliquot ejus Sorores Moniales Urbeveteri in Cænobio *Iesu* nuncupato Ord. S. Francisci, recordatae sunt penes se esse Margaritæ sudarium, quod olim donatum fuerat earum Aviæ paternæ, quæ etiam ipsa Magdalena Brunelli vocabatur. Itaque exemplò sudarium illud propriæ sorori Magdalena Danielli miserunt, suadentes, ut se magnæ hujus Dei famulæ intercessionibus commendaret, & aliquid ei pro obtainendâ sanitatem promitteret; promisit illa se Ameriam, ut ei gratias ageret, venturam, & votivam tabellam ei oblaturam. Nec mora, sudarium cruri ulcerato admovit; & ecce illicò, & intra momentum plaga detumuit, evanuit dolor, ardor, & inflammatio cessavit, vulnus intra paucos dies coaluit, & solidatum est, cicatrice tantummodo remanente.

III. Quamobrem recuperatam valetudinem Margaritæ meritis acceptam referens, & promissa persolvere, ut par erat, volens, Ameriam venit, ad Cænobium D. Catharinæ se contulit, Abbatissam alloquuta est, eique hujuscem rei ordinem exposuit. Sed hæc illam ad me remisit, cum sciret me ejusdem Margaritæ Vitam, ad Dei, ejusque famulæ gloriam, summatim adornare, ut prænarratū ejus miraculū unā cum reliquis litteris consignarē: Anni libentissimè, & hanc ipsam rei adeò memorabilis testificationem à prælaudata Domina Magdalena Danielli rite feciendam curavi, coram ejus Filio Francisco Petrucci, & D. M. Virginia Perini Cænobii D. Magni Abbatissæ D. M. Flavia Zuccante nobili Amerina ibidem Priorissæ, D. Angela Virginia Giannoni, & D. Vincentia Octavia Giannoni Monialibus; præsentibus quoque tamquam testibus Joanne Baptista Leonardi, & Septimio Galaris Ameriæ comorantibus.

IV. Eadem insuper Domina Magdalena testificata est aliud miraculum, quod annos aliquot antea evenerat suam Genitrici nomine Hieronymæ, quæ cum morti jam esset proxima, & magnam pateretur vomitionem, ob quam SS̄m Viaticum sumere nullatenus poterat, petiit, ut sibi potus in cratre, quo Margarita Conradi olim fuerat, daretur; in quo cum bibisset, statim vomitus instigatio cohibita fuit, ut sine ulla difficultate Sacrosanctum Christi Corpus accipere, & deglutire potuerit.

V. Habemus ergo in hac Dei famulâ omnium virtutum singularia prorsus exempla, nobis ad imitandum proposita, habemus ignaviæ nostræ inexcusabilem redargutionem, si nihil ex eis profecerimus; insultè equidem naturæ nostræ imbecillitate, vel horum temporum iniquitate segnitiem nostram tuemur, cum recenti admodum tempore fæmina adeò fragilis rigidissimos Anachoretas, & præclarissimos quosque Monachos Sanctitate, & Poenitentia exequaverit. Neque enim Deus gratiâ suâ nobis deest, sed nos ejus gratia desumus, in vacuum illam recipientes, eam negligentes, & quod deterrius est, eâ abutentes. Deponamus ergo tandem socordiam, rumpamus moiras, Deo per gratiam suam vocanti respondeamus. Filii Sanctorum sumus: quorum habitum gerimus, uirtutes etiam moribus referamus. Sumus inter exempla, quare deficimus? quidquid fieri potuit, potest, gratia Domini nostri

Senec.

Mstri Jesu Christi , cui cum Patre , & Sancto Spiritu honor , gloria , & imperium per infinita sacerdota sacerdotum . Amen . Die 16 Aprilis an: 1729. quæ fuit Feria 6. in Parasceve . Sic nimurum Margaritæ Vita , quam illa in contemplatione , & imitatione Passionis Dominicæ sextis præsertim feriis transegit , & feria 6. post Pascha anno 1666. feliciter absolvit , hac etiam feria 6. Parasceve an: 1729. narrationis suæ , ac descriptionis finem accepit . Hanc eandem Margaritæ Vitam an: 1733. ego ipse , qui Latinè scripsi , Italicè verti , ejusque exemplar Monialibus S. Catharinæ Ameriam missum dono dedi , promissi licet serus , fidelis tamen persolutor .

MARIA CATHARINA BRUGORA est alia Virgo SSma , quæ multò quidem ante Margaritam Conradi , sed pari Vitæ Sanctitate , & miraculorum prodigiis Mediolani in Cenobio Sanctæ Margaritæ sub nostra Cong. constituto flouruit , eo prorsus tempore , quo in Monasterio S. Martha Urbis ejusdem duæ aliæ Virgines lectissimæ B. nempe Veronica de Binasco , & Ven: Soror Archangela Panigarola , veluti alia duo Cœli sidera Evangelicæ perfectionis jubar undecumque diffundebant . Et quod Dei Op: Max: in Catholicam suam Ecclesiam amorem , & custodiam præclarè commendat , eo etiam tempore , quo tria illa Inferorum monstra Lutherus , Calvinus , & Zwinglius perversorum dogmatum virus , ad enecandam , si fieri potuisset , Catholicam fidem , ore pestifero evomebant ; ut quod illi contra veram Christi Ecclesiam blasphemando blaterabant , hæ Sanctissimæ Fæminæ Egregiis operibus , & miraculorum signis evidentissimè confutarent .

Ejus Natalis , Infantia , & Religionis Tyrocinium . CAP. I.

- I. Nata est M. Catharina an. 1489. honestâ satis familiâ , patre Bartholomæo Brugora , matre Leonora Bolla , qui eam ab ipsa infantia in omni Dei timore , & Christianis Virtutibus diligentissimè educandam curarunt , ut pietatem , devotionem , & probatissimos mores unâ cum lacte imbiberet , atque adeò cum S. Job postea diceret , *ab Infantia mea crevit mecum miseratio , & de utero matris meæ egressa est meum* : Quamobrem ab ipsa pueritia magnæ Sanctitatis indicia præbuit , nam noctu supra dormientis lectulum clarissima lux ab ejus matre soepius fuit visa , quæ illius animam divinæ gratiæ splendore illustrandam , mentemque coelestis contempnationis dono ditandam significabat . Tantam autem primâ ætate modestiam , morum dulcedinem , gravitatem , prudentiam , pietatem , & eximium in Deum amorem præsetulit , ut omnibus stupori , & admirationi esset , omnesque inde cognoscent , Deum ab ipsis incunabulis eam in charissimam Sponsam sibi elegisse .
- II. Igitur ætatis suæ anno XV. penitus se Deo dicare , & consecrare cupiens , Monasterium S. Margaritæ Urbis Mediolani , ubi id exequeretur , expetiit . Voti compos effecta , mirabili devotione , prolixis orationibus , ac omnimodâ solitudine ad æterni sponsi nuptias sese disposuit , ac præparavit ; longè secùs , ac plures aliæ puellæ nunc faciunt , quæ cum Deo in Monasteriis desponsandæ sint , primò mundi vanitatibus , commessationibus , cōfabulationibus , immoderato vestium ornatui , circuitionibus , ac vagationibus , & curiositatibus operam navant , ut mundi potius sponsæ , quam Dei Virgines videantur ; ex quo absurdo plura alia sequuntur , quorum maximū illud est , ut earum mentes , & corda plena jam mundanis cogitationibus , ac nugis , non eum , quem debent , in Religione profectum faciant , & pro Dei amore , amorem mundi mente , & corde semper revolvent , & ægrè admodum in Monasterio degentes , corde in Ægypto versentur , nauseantes super cœlesti Manna , id est nul-

nullum ex oratione, Psalmodiâ, Sacramentis, aliisque Spiritualibus exercitiis saporem, ac fructum referentes.

III. At Maria Catharina tanto cum fervore, tantâque præparatione Religio-nem ingessa, Tyrocinii annum summâ pietate, & Sanctimoniâ, & singulari in omni virtute incremento transfigit. Magistram optimam sortita Angelam Cathaneam insigni probitate, & zelo Monasticæ præfectionis præditam, quæ Tyrunculam in humilitate, patientiâ, & obedientiâ diligentissimè probavit, juxta D. P. Benedicti aureum illud monitum ex Apostolo petitum, *prædicen-tur ei aspera, & dura, ut probetur Spiritus si ex Deo est;* Cui sane probatio-ni M. Catharina egregiè respondit; nam quidquid ei præcipiteretur, quan-tumvis laboriosum, ac difficultile, ea spiritus alacritate, & promptitudine exequabatur, ut ipsi Magistræ consolationi æquè, ac admirationi esset. Non enim ambulabat, sed currebat potius ad perfectionis culmen, utpote quæ pennis columba deargentata instructa, avidè ad Christum volabat, ut in ejus dilectione requiesceret. Obediebat autem in auditu auris, & sine ulla mora, Deum in præcipiente considerans; itaque licet esset adhuc discipula, aliis tamen Monialibus, etiam provectionis ætatis, erat speculū Religionis, & norma virtutum: Ad divinum vero connubium, id est ad solemnem Religiosæ Vitæ Professionem, quot præviis jejuniiis, quot flagrantibus suspiriis, & ignitis de-sideriis Virgo processerit, paucis enarrari non potest; intensissimo cordis ju-bilo intimè se Deo conjunxit, mundo, ac propriæ voluntati in perpetuum nun-cium remisit, ut Christo penitus adhæreret, & sublimium virtutum exerci-tationi se traderet.

Humilitas, & Dei Amor CAP. II.

Omnium autem virtutum ædificium (ut par erat) supra Humilitatis fundamen-tum erexit; de se namque demississimè sentiens, & omnibus Monialibus dete-riorem, & imperfectiorem se reputans, viliora quæque Cœnobii munia an-xiè expetebat, & latanter obibat. Levissimum quemlibet defectum, & mi-nimum etiam defectum veluti gravissimam, & abnormem immenso dolo-e, & severissimâ pœnitentiâ puniebat, copiosique lacrymis, & amaris-imis singultibus diluebat; quò magis in virtutibus proficiebat, & in via Dei pro-grediebatur, eo magis se ab ea distare existimabat, ea quæ retrò sunt ob-liviscens; quo magis favoribus, & gratiis à Deo cumulabatur, eo magis in-dignam se iisdem esse persuasum habebat: Bona opera sua, dona, & revela-tiones sibi à Deo communicatas studioſissimè occultabat, nec aliquid eorum umquam, nisi obedientiâ adacta manifestavit, denique omnis ejus sermo, actus, oculi, vox, totiusque corporis habitus absolutissimum Humilitatis simulacrum reddebat. *Amor Dei, & Proximi. CAP. III.*

I. Hic sui ipsius contemptus, & perfectum odium, maximum in ejus anima Dei, & Proximi amorem peperit; ubi enim Amor proprius minimè obtinet, ibi Amor Dei penitus dominatur. Itaque ejus cor veluti fornax septuplum accensa flamas ardentium desideriorum ad Deum jugiter emittebat, cuius charitate ejus anima vulnerata, nihil nisi Deum cogitare, nihil nisi Jesum lo-qui, nihil nisi Jesum suspiriis, & gemitibus inclamare undique poterat; ab omnibus proinde suis Confessariis, & PP. Spiritualibus semper exquirens, quâ ratione posset Deum ardentius amare, Christo perfectius inservire, illi-que arctius copulari, cum Canticorum Sponsâ dicens. *Annunciate dilecto meo, quia amore langueo;* iterumque, in lectulo meo per singulas noctes qua-sivi, quem diligit anima mea, surgam, circuibo Civitatem per vias, & plateas, *Cant. 3.* quem diligit anima mea *&c.* *Cant. 4.*

Cum

M

II. Cum autem probatio dilectionis exhibitio sit operis, nulla res adeo ardua, ac difficilis erat, quam pro Dei gloria, ac dilecti Jesu amore, alacris non agrederetur, fortis non prosequeretur, & constans non ad finem duceret, nullum præ cœlestis Sponsi desiderio labore sentiens. Hujus item eximii amoris signum evidens erat ad quamlibet Dei offensam, & injuriam vehementissimo animi dolore angi. Cum enim peccatorum, quæ ab hominibus in Deum fiunt, acerbitatem, & pravitatem cogitaret, statim ex oculis lacrymarum vim effundebat, & præ angoris magnitudine, mixtum sanguinem lacrymis emittebat. At vero quoties de Deo loquebatur, tota dulciter liquefiebat, ignemque intus flagrantem vultu etiam, & oculis miro fulgore colluentibus, ostendebat.

III. Erga proximum quoque præcipuam dilectionem, inviolabilem mansuetudinem, & perpetuam benignitatem semper retinuit, nulli umquam subirata, vel etiam modicè perturbata apparuit, omnes intimo charitatis affectu completa est. Verum infirmis summo studio, incredibili patientia, & peculiari sedulitate inserviebat, earum necessitatibus sollicitè, ac attentè subveniens, Itaque numquam melius Infirmae, quam sub M. Catharinæ diligentia, ac solitudine sese habebant; quantò autem earum morbi graviores erant, & deformiores, & stomachum moventes, à quibus propterea alię Moniales abhorabant, tanto alacrius, & promptius M. Catharina, earum curationem suscipiebat, suis ipsis manibus illarum nares, & linguam expurgans, salivam ex ore eruens, saniem ex plagis abstergens, nullum denique charitatis officium prætermittens. Cum infirmis enim insirmabatur, cum debilibus debilis apparebat; omnibus tribulationem patientibus intimis visceribus compatiebatur, omnes tum spiritualibus precum subsidiis, tum corporalibus manuum auxiliis adjuvabat; reputabat enim ipsi Christo Domino in Infirmis se ministrare, memor ejus sententiae, *quod uni ex minimis meis fecisti, mihi fecisti*. Hinc ejus fidei, ac virtutum merito, plures infirmi ab ea curati soepius sanitatem à morbis etiam insanabilibus obtinuerunt.

IV. Eluxit maximè hæc ejus charitas anno 1524, quo pestifera lues Mediolani grassabatur, & Monasterium etiam S. Margaritæ invaserat; tunc enim libentissime, munus eo morbo laborantibus inserviendi assumpsit, quarum unam signo Crucis prodigiosè sanavit, imò suis orationibus à Deo pro omnibus gratiam obtinuit, ut nulla ejus Cœnobii Monialis ex illa pestilentia interiret, promittens insuper, Dein nomine, Monasterium ipsum tunc, & in posterum ab omni pestis periculo illesum fore, dummodo Moniales quotidie Dominicam orationem, & salutationem Angelicam quinquies recitarent, & in pervigilio Doctoris Maximi Hieronymi jejunarent, ejusque festum diem, solemniter, ac devotè celebrarent; quam promissionem veridicam fuisse eventus demonstravit, non solum eo tempore, sed etiam an. 1576, quo iterum pestis Mediolani defevit.

Pœnitentia. CAP. IV.

Patiendi pro Deo cupidissima, Corpus suum veluti asellum flagellis, ciliciis, jeuniis assidue cruciabat, tantum cibi, & quietis illi concedens, quantum vix satis esset, ne sub sarcina continua mortificationis deficeret, & sub onere quotidiana pœnitentia corrueret. Viveret quidem, sed ad pœnam, non ad solatium; imò potius sub crucis pondere, ac suppliciorum dolore jugiter moreretur, dicens cum Apostolo, *quotidie morior, & semper mortificationem Jesu Christi in corpore meo circumfero*. Præter regularia jejunia à sanctissimo Legislatore nostro præscripta, quæ severissimè observabat, plura alia, Confessario permittente, in pane tantum, & aqua frequenter tolerabat. Cibus illi quoti-

quotidianus parcissimus; nec umquam occasione cuiuslibet vel communis lætitiae, vel solemnioris festivitatis, cum aliquid plus solito ad mensam apponi soleret, extra consuetæ parsimoniae, & abstinentiae limites egredi voluit: quod sanè magna, imò summæ virtutis indicium est, vel inter epulas esurire, & ab oblatis eduliis, fame premente, sponte abstinere: Ut verò gulam magis, magisque cruciaret, ne delectationem ullam ex cibi sumptuone perciperet, illum vel aquâ, vel nimio sale, vel denique aliquâ aliâ re gustui molestâ corrumpebat; ut quotiescunque sumendus esset cibus, tormentum potius, quā corporis refectionem subire videretur, integros proinde dies soepe soepius sine ullo cibo perdurans; asperrimo interim cilicio ad vivam cutem adhibito, ferreâ insuper catenâ arctissimè lumbos præcingens, durisque flagellationibus corpus cädens, & lacrymarum vim profundens. Somnum brevissimum capiebat, imò verò, carpebat, non enim dormiendi cupiditas prius, quam necessitas fuit, extremâ scilicet lassitudine urgente; nam noctis partem maximam orando transigebat, nullum denique mortificationis genus declinans, imò alacriter omnibus obviam accurrens. *Patientia. CAP. V.*

M

I. Nec minor, aut remissior in rebus adversis, ac molestis patientia. Cum frequenter injuriis, & contumeliis, malignisque detractionibus impeteretur, ut re ipsa probari posset, vera ne, an fucata ejus esset virtus, an sanctitatis lux, an vero fumus Hypocrisis, juxta illud Psalmographi, *Tange montes, & fumicabunt;* semper tamen cor ejus, utpote *Mons Dei, mons Sanctus, mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo,* immotum, & constans adversus omnes tempestatum impetus stetit. Serena frons, tranquilla facies, ridentes oculi, quibus æmulas, ac persequentes, quæ ejus admonitiones ferre non poterant, veluti magis amicas, sibique benevolas respiciebat, ac diligebat, nullam proinde eis benefaciendi, ac bonum pro malo reddendi occasionem prætermittens.

II. Inter illas, quæ sinistram de Mariæ Catharinæ Sanctitate opinionem fovebant, eique jugiter detrahebant, Monialis quædam erat, horribili, ac insanabili Carcinomâ dire cruciata. Hæc ab aliis Monialibus suadebatur, ut Mariæ Catharinæ orationibus se commendaret; at ipsa consilium spernens, Dei famulam deridebat. Sed quadam die fortuitò Mariam Catharinam offendens, elatâ, ac subiratâ voce, quæ cordis superbiam satis ostendebat, aliquot Moniales (inquit) *bortatæ sunt me, ut pro remedio infirmitatis, qua teneor, ad te confugerem.* Ad quid hoc? At Brugora vicē ejus miserta, duplēcē morbi, corporis scilicet, & animæ sanare cupiens, elevatis in Cœlum oculis, & erecto in Deum corde, charitate flagrans, & de divinâ misericordia plane confisa, dulcissima, ac mitissima voce respondit, *Non ego quidem Soror dilectissima, sed piissimus animæ tuæ Sponsus Christus Jesus, intercessionæ Beatissimæ Genitricis suæ, te sanam faciet; ostende ubi nam crudeli hac plagâ labores? emollita illa incredibili, ac summâ Dei famulæ patientiâ, ac dulcedine, carcinomam ei demonstravit, quā M. Catharina Cruce signans, invocansque suavissimū Jesu nomen, & Sanctissimæ Virginis, illicò sanavit, tanto Infirmæ stupore, & confusione, ut se ad ejus pedes prosternens, veniam jam esset petitura, & plurimas gratias actura, nisi M. Catharina id prohibuisset, jubens, ut rem silencio tegeret, ac Deo dumtaxat, ejusque SSñæ Genitrici Sanitatem & gratiam acceptam referret.* *Obedientia. CAP. VI.*

I. Par fuit ejus obedientia, cæca nimirum, & sine mora, & nullam umquam excusationem prætexens, arduum licet, ac per difficile esset præceptum; semper ob oculos habens caput illud S: Regulæ, quod talem titulum præfert, *Si Cap. 68. Monacho impossibilia injungantur.* Ad jubentis nutū paratissima nūquā oblistēs,

M

nunquā reluctans, numquā recusans, numquā ad contradicendum aperiens os suum; sed injunctū sibi quodcumq; opus incunctanter adimplens: In Officiorum Monasterii distributione nullum præ alio exoptabat, aut (multo id quidem minus) postulabat, sed quodlibet ei obtigisset, hilariter, ac libentissime exequebatur, & quo vilius & laboriosius illud esset, eo charius, & acceptius à se haberi multimodis demonstrabat.

I. Hanc autem ita paratæ, ac cæcæ obedientiæ rationem etiam in rebus spirituualibus observabat, ut si ei à Confessario, vel Antistitâ, aliqua ex consuetis viis actionibus, vel poenitentiis interdiceretur, illicò ab eâ desisteret; quod teræ, ac solida perfectionis est opus, nam plures homines se quidem spirituales profitentur, sed proprio sensui in privatis orationibus, & peculiaribus pietatis exercitiis adeò tenaciter sunt addicti, & alligati, ut nullo pacto, aut nonnisi difficillimè ab ijs divelli, & si ad tempus, patiantur; Se nimirum potius, quam Deum in illis quærentes, de quibus proinde Dominus per Prophetam conqueritur dicens *In jejuniis vestris reperitur voluntas vestra*, ideoque, *solemnitates vestras odivit anima mea*. At M. Catharina de ipsa sua Obedientiâ minimè superbiens, expletâ quam diligentissime quacumque superiorū jussione, illud Evangelicum subinde repetebat, *Cum hæc omnia feceritis, dicite, quia servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.*

Paupertas. CAP. VIII.

Paupertatem summoperè adamavit, & studiosissimè coluit. In ejus cella nihil superfluum, imò vix quæ maximè necessaria erant, locum habebant; Novas vestes induere minimè cupiebat, sed easdem, quas in Religionis ingressu semel assumpserat, diutissimè detulit, donec ita obsoletæ, ac laceræ evasissent, ut nullatenus amplius usui esse possent; quas tamen nonnisi obedientiâ cogente recentibus commutavit. Erat enim pauper non solum spiritu, & affectu, sed etiam re ipsâ, gaudens nimirum in necessitatibus, & cupiens pauperior adhuc esse, & ipsis necessariis rebus carere, omnem curam, & solicitudinem habens, ut dives tantùm virtutibus fieret. *Oratio. CAP. VIII.*

I. Ejus Oratio non solum frequens, sed prorsus continua fuit; nam solitudinis ac silentii amantissima, & à creaturis omnibus longissimè remota, sed conversatione, & spiritu semper in Cœlis manens, Deo tantum corde, ac mente in altissimo contemplationis gradu unita persistebat: totum proinde à communib[us] exercitiis reliquum tempus die, noctuque orationi tribuens. Solebat autem integræ horæ spatio ante matutinam sinaximè strato surgere, & orationi vacare, ut mane ejus oratio Deum præveniret: Accedebat verò ad ipsam orationem, intimo humilitatis actu præmisso, indignam fese reputans, quæ ad immensam illam, & increatam majestatem alloquendam accederet, cum Credentium Patre reverenter dicens, *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis, & cinis!* In oratione autem, præsertim cum sextis feriis, & diebus Quadragesimæ Dominicam Passionem contemplabatur, tota lacrymis diffubebat, vultu mestitissimo ipsissimam doloris imaginem exprimente: multas præterea vocales preces recitabat, frequentissimè jaculatorias voces, ardentissimi in Deum Amoris indices, emittebat. Nihil enim cogitabat nisi Deum, nihil nisi de Deo loquebatur, nihil nisi dissolvi, & esse cum Christo cupiebat. Itaque tota ejus Vita, & omnis ejus actio oratio erat. Hinc quidquid à Deo peteret, etiam in proximorum utilitatem, facillimè impetrabat, quæ causa erat, cur plurimi tum corpore infirmi, tum animo afflitti, tum denique aliqui momenti negotium aggressuri, Mariæ Catharinæ orationibus se commendarent, cum eos optati beneficii spes minimè falleret.

Porrò

II. Porrò ejus orationem admirabiles extases, ut plurimùm, comitabantur: Festis præsertim diebus spiritu in Deum elevata rerum cœlestium visionibus fruebatur, & divina mysteria, nostræ potissimum, Redemptionis, atque dulcissimi Jesu nominis, ejusque cruciatum, aut supernæ Patriæ gaudiorum mentionem fieri audiebat, illicò à sensibus alienata, altissimi eorumdem thematum contemplationibus immergebatur, futuræ gloriæ felicitatem non raro in antecessum prægustans; quandoque cum ex Sanctæ Regulæ prescripto Monialibus per hebdomadam ad mensam inserviret, in Cœnaculi medio, tabulam, qua cibos inferebat, manutenens, & sacræ lectionis verba auribus percipiens, immobiles permanit, in extasim rapta. Sœpe ipsis in mentis excessibus ostendit illi Dominus quorundam gravium peccatorum miserrimum statum, & eorum animæ deformitatem, quos M. Catharina adhuc extra se rapta, acriter objurgabat, & reprehendebat, & ut detestatis criminibus ad Deum redirent vehementer hortabatur.

II. Anno 1528 die 7 Julii dum oraret, extra sensus, ut alias posita, cognovit, Deo revelante, lacrymabilem catastrophem, ob horribilium peccatorum gravitatem, Italiae propediem impendentem; Vedit sanguineum flagellum in manu Domini circumagi, vedit gladium acutum divinæ ultionis jam evaginatum, bella, & calamitates huic regioni eventuras; Vedit Romam à barbaris mox occupandam, deprædandam, ac miserum in modum devastandam.

Dona, & Gratia à Deo illi concessæ. CAP. X.

I. Pluribus item alijs donis, & gratiis à Deo fuit cumulata; In his, Angeli Tutelearis visibili præsentia identidem dignabatur; Ille mysteria per extases visa, cum ad sensus rediret, ei explicabat: Ille varias Orationes, easque plane cœlestes eam edocebat; Ille parvam Crucem argenteam, quam amiserat, ei restituit. Quæ Crux post ejus mortem veluti pretiosus thesaurus diligenter in Cœnobio S. Margaritæ asservata, & ad infirmos transmissa, multa sanitatum prodigia, ut divinæ potentiae instrumentum M. Catharinæ meritis haetenus operatur. Denique Custos Angelus plures alias vigilantiaz, ac dilectionis suæ testificationes ei præbuit.

II. At Angelorum Dominus præcipua dona, & insigniores prærogativas, quæ maximis quibusque Sanctis elargiri solet, Mariae quoque Catharinæ liberaliter contulit; nam & præscientiæ spiritu eam exornavit, quo futura multa prædictit, & cordium secreta, ipsasque mentium cogitationes non raro ostendit, & hoc insuper illi præsttit, ut quamvis absens corpore, spiritu tamen pluribus, & locis, & personis etiam remotissimis præsens esset. Itaque in cella clausa consistens, Moniales in collocutorio manentes optimè intuebatur, earumque sermonicationes distinctè audiebat; denique pericula, & necessitates eorum, qui suis Orationibus se commendaverant, licet longissimè constitutæ essent, perspicuè cognoscebat, eisque præsentissimam opem ferebat.

VI. Cum ad divinissimum Eucharistiæ Sacramentum summâ quidem devotione, & diligentissimo apparatu, accederet, quam Deus largiter cœlestium charismatum affluentia ejus animam irrigaret, ex ipsa ejus facie mirâ luce tunc resplidente, dignoscebatur, quam aliæ Moniales firmâ, ac immotâ oculorum acie, propter nimium emicantem inde splendorem, minime poterant intueri. Quodam igitur mane post Sacramentalem Confessionem multis cum lacrymis, ut ei mos erat, celebratam, cupiens ardentissimè sacrosancto pane Eucharistico refici, à proprio Confessario repulsam tulit; paruit absque contradictione humiliis Dei ancilla, tanto Sacramento indignissimam se existimans. At dum idem Confessarius Missam eodem die faciens, sacram hostiam de more par-

Mitus esset, invisi bili manu ejus particula ad Mariam Catharinam delata fuit, quam illa devotissimè, & amantissimè suscepit; quod sane donum Mariam Catharinam Senensi illi Catharinæ, & Margaritæ Conradi, cuius nuper Vitam descripsimus, & si quæ alia magna Dei famula id aliquando obtinuit, similem reddit. Nec semel tantum, sed sc̄e p̄ius dilecta huic sponsa gratiam adeò insignem Salvator noster impartitus est, sacratissimum suum Corpus Eucharisticum per manus Sanctorum tū Apostoli Andrea, tum Magni Gregorii, quos peculiati pietatis obsequio prosequebatur, illi mittens, ut frequentius divino convivio frueretur.

V. Alio etiam cibo regio eam aluit, & de vino, unde bibebat ipse illam potavit Rex sacerotorum, de calice videlicet passionis suæ, ut particeps esset eorumdem Christi dolorum, quos profundâ cogitatione jugiter meditabatur: Constantis insuper fama est, ejus manibus, pedibusque, ac lateri stigmata quinque vulnerum Crucifixi Jesu fuisse impressa, capiti autem spineæ coronæ punctiones omnes infictas, qua de causâ in depictis imaginibus caput ejus visitur spinæ diadematè redimitum; quoties denique Dominicam Passionem intimè contemplabatur, sanguineas ex oculis lacrymas præ dolore effundebat, sponsor sanguinum hac saltem ratione sanguinem reddens.

Miracula. CAP. XI.

I. Quot vero Miraculorum signis coruscaverit, satis longâ narratione opus esset, si tamen singula recensere quis vellet; pauca igitur ex plurimis delibare sufficiat. Adhuc puellula, cum matris iutſu aurea quadrum fila intexeret æstivo tempore, haud parum molestiæ ex manuum sudore in opificio illo complendo patiebatur, ipsum identidem sudario coacta abstergere, ne aurea fila humore illo inficerentur: Proximâ hyeme puerili simplicitate multam nivem collegit, eamque in plures globos redactam, in camini fenestella collocavit, in sequenti æstate ad manuum refrigerationem illis usura. Rediit calidissimum tempus, dumque, ut alias M. Catharina manuum sudorem in laborando ageret, en, inquit, aliis puellis, nivem, quam præteritâ hyeme in camino reposui, nunc recipiam, eaque manuum sudorem compescam; Riserunt sociæ inauditam puellaris animi credulitatem, at ubi niveos globos intactos, & integros prout illic absconderat, è camino M. Catharina ad eas retulit, in maximum stuporem adductæ sunt; Ejus autem Mater ex hoc etiam prodigio Filiae Sanctitatem, qualis futura esset, metiri coepit.

II. Jam Monialis cum plurimù in virtutibus, & perfectione profecisset, eju sque Sanctitatis fama longe, lateque diffunderetur, nobilis matrona Clara nomine Uxor Joannis Baptista Pusterulæ Viri illustris, & Equitis, Mariae Catharinæ orationibus eum commendavit iter in Gallias acturum tempore satis difficulti, nam atrox ea tempestate, Gallos inter, Hispanosque in Italiâ bellum vigebat; Dum igitur eò pergeret, & cuidam Castello haud longè à præterlabente flumine appropinquaret, ab hostibus repente circumseptus, in summo libertatis, ac Vite amittendæ discrimine versabatur, nec ulla effugii, aut salutis spes affulgebat: Cum ecce insperatò sensit se, ad instar Prophetæ Habacuc, aprehensum capillis, ad alteram fluminis ripam, mirabiliter, ipsisque stupentibus inimicis, in momento transferri: jamque in tuto positus, vedit M. Catharinam in aere sibi apparentem, & benedictionem permanter impertientem; in cujus rei adeò admirandæ memoriam, simulque in grati animi testimonium M. Catharinæ effigiem coloribus, ac formis exprimentam curavit, eo prorsus habitu, ac gestu, quo sibi in aere apparuerat, subiecto lemmate; *Ego Joannes Baptista Pusterula Eques, precibus tuis Gallias manus evasi.*

III. Belli etiam tempore cum militum turma per Urbem Mediolanum furibunda discurrens , nec sacris , nec profanis locis , aut rebus parceret, Cœnobium M. Catharinæ , sacrilegia , & rapinas spirans intravit ; jamque ascendebant scalas , cum illa altera veluti Clara Assisiensis , militibus obviam facta , & Crucifixi simulacro in scalæ vertice collocato se , & Monasterium commendans , milites graviter objurgans , eisque impietatem , & temeritatem exprobrans , alæ Præfectum ceteris audaciorem , suâ quidem oratione , non tamen suâ manu , sed invisiibili Altissimi dexterâ retrorsum dejectit , & ad imum scalæ magno impetu præcipitem egit ; quo prodigio , & ipse Dux fractus , & reliqui milites territi , nec scalam ascendere , nec mali aliquid Cœnobio moliri deinceps ausi sunt ; sed confusi abierunt ; Imò ille ipse Dux antea tam ferox , virtutem , & Sanctitatem Mariae Catharinæ admiratus , ab ea humiliter veniam petiit , quæ ut eorum , qui veri , non autem facti servi Dei sunt , mos est , bonum pro malo reddens , non solum sanam mentem , sed etiam sanitatem à quartana febri illi à Deo impetravit ; qui post aliquot dies , animadvertisens Cœnobium illud M. Catharinæ meritis , sub protectione Dei Cœli commorari , magnam pæcuniæ vim M. Catharinæ detulit , eam rogans , ut depositi loco illam servaret , quam etiam , nisi ipsem et recepturus rediisset , integrum Monasterio donabat : ita hostem infensissimum in Amicum , & Benefactorem commutavit . Hæc fuit nimirum mutatio dexteræ Excelsi .

Ejus Mors CAP. XII.

- I. Postquam adeò sanctè , & laudabiliter annis quadraginta vixisset , & ad Virtutum culmen jam ascendisset , Cœlestis Sponsus ad Paradisi thalamum , amantissimè eam traduxit ; nam anno 1529. febri correpta , brevi quidem tempore , trium scilicet dierum spatio ad extrema devenit . Quamvis autem febris initio morbi levis admodum , & extra periculum mortis videretur , eam nihilominus M. Catharina lethalem statim agnovit , prædixitque ex ea tertîâ die se morituram ; eratque admodum lata , ac festiva , utpote quæ ardentissimè cuperet , & certissimè speraret dissolvi , & esse cum Xptō .
- II. Igitur Sanctissimis Ecclesiae Sacramentis devotissimè sumptis , traditisque circumstantibus Monialibus ad regularem observantiam , & Evangelicam perfectionem saluberrimis monitis , conformatis in Crucis similitudinem manibus , in illis verbis , *in manus tuas Domine commendō spiritum meum* , purissimam animam placidissimè , ac felicissimè Deo reddidit die 19. Nov. anni prædicti 1529. fer 6. Ex ejus autem ore expirantis candidissimam Columbam egredi , & ex fenestra exire Moniales viderunt , quæ procul dubio ejus animæ species erat ad Cœlum evolantis .
- III. Obitus ipsius adeò pretiosi famâ vulgatâ , Urbs serè tota ad videndum , venerandumque ejus corpus cucurrit , quod idcirco triginta dies insepultum permanxit , ut piæ confluentium devotioni fieret satis , quo etiam tempore plura ad idem corpus miracula patrata sunt , quod tandem in lapideo tumulo repositum fuit , unde postea extractum , & urnâ nuceâ inclusum , in interiore Monialium Ecclesiam translatum est , perststitque penitus incorruptum , & vividum , acsi recens expirasset usque ad annum 1612. , cum ex nuceâ illâ capsula , in aliam cypressinam , & decentius ornatam traductum , novis prodigiis coruscavit ; quorum plurima etiam postea , meritis , & intercessione Mariae Catharinæ operari dignatus est Omnipotens ; Eorumque longum satis catalogum texit , Italico sermone , Franciscus Rogerius nobilis Mediolanensis , & Sacerdos , qui ejus Vitam litteris consignavit , impressitque Mediolani per Philippum Ghisulphum ann. 1646 ; à

M

pag. 169. usque ad 208. ex qua Vitâ , ea quæ de M. Catharina referimus , accuratè desumpsimus , & in hunc ordinem pro virili redegimus : Rogerius verò in Præf. ejusdem vitæ M. Catharinam in donis à Deo acceptis Catharinæ Senensi , in revelationibus Svecicæ Birgittæ ; In extasibus Catharinæ Florentinæ de Riccis ; in Poenitentiis Paulæ Romanæ ; In orationibus , & Angeli familiaritate Franciscæ item Romanæ jure , & merito comparat ;

IV. Ejus etiam Vitæ breve Elogium scripsit Felix Egger Monachus Pethrusianus in Helvetia ; *Idea Ord. Hierarchico-Bened. libell. 2. part. 3. dissert. 7. pag. 476:* *¶ seq. ubi eam Romæ natam asseverat;* At quo fundamento , cum Rogerius id minimè dicat ? sed Mediolanensem tantum appellat .

Hanc vitam exarare cœpi Senis die 18. Aprilis 1729. eam autem absolvi Assisi die 9. Aprilis 1730. in die Sancto Paschatis . Hujus autem tam longæ moræ causa non solum plures aliæ intermediae occupationes fuerunt , sed multo magis asperrimi grandium calculorum dolores , quibus integro biennio , eoquæ amplius gravissimè cruciatus sum ; jamque apropinquaveram usque ad portas mortis , donec vessicæ sectioni fortiter me ipsum subjeci , ex qua celebris Litotomus Petrus Paulus Lapi ex Castello Nursinæ diæcesis , vulgo *le Preçi* dicto , durissimos lapides duos pondo unius unciaæ feliciter extraxit die 17. Septembribus elapsi anni 1729. ætatis meæ an. 67. dolor quidem in sectione admodum tolerabilis fuit , & curatio adeò prospera , ut intra 14. dierum spatium è lecto sanus evaserim . Dei id , & Bñm & Virginis maximum beneficium ; quod etiam precibus , tum SSmi Francisci , cuius sacrorum Stigmatum festum eo die celebratur , tum aliorum Sanctorum , in primisque hujus Dei famulæ , & Margaritæ Conradi , quarum Vitas nuper texueram , quibusque valde protanta necessitate me commendaveram , refero acceptum . *Eripuit enim animam meam de morte , oculos meos à lacrymis , pedes meos à lapsu Ps. 114.*

FR: MARTINUS ab Albania , quæ olim Epirus , in Monasterio S. Pauli de Urbe Religionem ingressus anno 1430. die 30. Nov. dicitur in nostris Regestis pag. 53. à tergo *Magnæ Sanctitatis , ¶ abstinentie Vir* ; qui pane furco vesci consuevit , & à Domino impetravit , ut vinum sibi semper amarum saperet : Spiritu Prophetiæ claruit : & cum Deum rogasset , ne ultima ægritudo ultra quatriduum protraheretur , feria quinta post Dominicam Passionis infirmatus , Dominica Palmarum proximè insecurâ animam efflavit , & in Ecclesia S. Pauli sepultus fuit

I. MARTINUS ORILIA natus Neapoli , ex Hispanis parentibus , ab ipsa infantia Dei timorem , amoremque in ejus legis observantiâ egregiè ostendit ; quam ut perfectius , & ad Evangelica consilia custodiret anno 1582. in Casinensi Archisterio sæculo nuntium remisit , & per vota solemnia penitus se Deo consecravit ; vixitque ibidem ad extremum usque senium summâ spiritus humilitate , & incredibili patientia ; Deus namque ad earumdem Virtutum probationem , & coronam , eum permisit molestissimis scrupulis tota vita agitari ; quod sanè martyrii quoddam genus est , tanto quidem gravius , quanto intimius , ac diurnius : Tunc enim Monachorum pedibus sese prosterne , eorum orationibus se commendare , ab omnibus veniam petere , indignissimum denique se , quem terra sustineret , existimare solemne habuit ; Cumque à proprio Confessario aliquandò durè increpatus rejiceretur , imposito sibi de quacumque re scrupulosâ silentio , (ita enim interdum à peritis conscientiarum Curatoribus cum hujuscemodi fieri solet) patientissimè ferebat , & humiliter , sine ullâ querelâ obtemperabat .

II. Ea propter Casinensis Abbas ratus , Martinum æconomicis negotiis occupatum ,

tum, & aliò aversum, eo suppicio levatum iri, Cœnobii Cellerarium illum constituit. Verum cum ex eo etiam munere arctioribus angustiis interius premeretur, discretus Præsul eâ curâ illum absoluīt. Gessit tamen, & quidem laudabiliter Tyronum Magisterium: quo tempore, utpote justitiae amantis simus, & sine acceptione personarum, posthabitis quibuslibet humanis rationibus, Emī Baronii Fratris, vel Sororis filium, (id enim distinctè non exprimit narrationis hujuscē Author, sed æquivoco vocabulo, & phrasi minime latina *Nepotem* tantum appellat) Novitium suum, quem Monasticae Religioni parum idoneum existimabat, constanter ad sacerdolum remisit, non enim omnes ad Regularem vitam electi, sed *Beatus ille, quem Deus elegit,* & *assump̄it, ut inhabitet in atriis suis.*

III. Interim licet tam acriter scrupulis conflictaretur, Regularium tamen virtutum perfectiores actus studiosissime exercebat. Paupertatis rigidissimus custos, femoralia obsoleta famulo ad ejus servitia ab Abbe deputato concedi minime passus est, sed plus indigenti danda curavit, quod diceret, famulo consuetum stipendium sufficere debere, quod illi à Monasterio persol-vebatur; à pecunia verò tum cupiditate, tum usu ita alienus erat, ut ne in itinere quidem, si quando id agere cogebatur, eam tangere umquam voluerit. Regularis silentii observantissimus, conscientia sua moderatorem, quem enixis precibus ad se accierat, nullo prolatō verbo, sed signis tantum usus, à se dimisit, quia dum veniret, campanula pulsabatur, meridianam dormitionem, adeoque silentii horam indicens. Propheticō Spiritu haudquaque carvit, quo afflatus obitus sui tempus, & alia futura prædictit, interquæ D. Matthiæ à Parma Confessario suo redditum in Patriam maturanti, non ita, inquit fiet, ut ante meum ex hac vita discessum hinc abeas, Patriam revisurus, quod ita prorsus contigit, nam anno 1639. placidissimè, eo præsente, in Domino obdormivit.

IV. Clementissimus enim Deus, qui neminem in se sperantem nimium affligi permittit, ante ejus Corporis dissolutionem eum à scrupulorum molestiâ penitus liberavit; adfuit etiam morienti magnus ille Dei servus D. Zaccharias à Fractis, de quo infra, qui statim atque Martinus animam efflavit, dixit, *tāquā fulgur recto tramite Cœli secreta penetravit.* Ita in hoc etiam beato Viro propheticum illud adimpletum est, *Justorum animæ in manu Dei sunt,* & *non tanget illos tormentum mortis &c. in paucis vexati, in multis bene disponuntur, quoniam Deus tentavit illos, & invenit eos dignos &c; tamquam aurum in fornace probavit illos, & in tempore erit respectus illorum, quoniam donum,* & *pax est electis ejus.*

Ex Elogiis Cornelii Ceraso, quæ de Monachis Casinensisbus sui temporis scripsit, & modo in Tabulario Casinensi asservantur: De eo etiam Gabriel Bucelinus in Ben: Rediu: an. 1639. è vivis abiit P. D. Martinus à Neapoli Monachus Casin. qui flagris in se ipsum atrocissimè sœvīt, effuso cruento indu-menta mirum quam purpuravit; quod ne cui innotesceret, specie ambulan-tis ad secretos latices se conferens, infectas vestes ipse abluebat, Casimirus item Vincentius Chranovius Polonus in Vita laudati Zachariæ à Fractis impressâ Neapoli apud Cramignanum an. 1678. cap. 7. pag. 92., & seqq. ex eodem Cornelio Ceraso, cuius verba in medium profert.

MARTINUS à PAPIA Patavii in Cœnobio S. Justinæ D. Benedicti Regulam professus est an: 1412. die 25. Julii, De eo in nostris Regestis sic dicitur, *animam agens, divinis revelationibus illustratur.*

MAURUS ANGELUS à PANORMO in S. Martino de Scalis Deo se arctius dicas.

M

dicavit anno 1614. die 13. Nov. in nostris Regestis dicitur. *Vir inculpatæ Vitæ.*
I. MAURUS à PAPIA, in sæculo Salimbenius nobili familia de Fulpertis, in laudato S. Justinæ Cœnobio ipso Congregationis initio, sub Ludovico Barbo tutoirem viam salutis ingressus est, Nuptias desponsatæ puellæ, splendidae domus divitias aspernatus; ob id Patris, cui unicus Filius erat, indignationem incurrit, quam tamen, ejusque Fratris acerbas minas, immotâ patientia, ac invictâ constantiâ superavit. Nam cum illius rogatu è Claustro eductus, apud Patavinum Episcopum constitutus esset, ut experimentum fieret, an divino afflatus, an verò Barbi fraudolēto consilio, ut Genitor causabatur, id vitæ genus elegisset, perstiterit in proposito, Deo maximas gratias agens, quod Demoni fallacias, & fluxas mundi illecebras sibi misericorditer demonstrasset, & ea ratione tugere docuisse, in eoque instituto, Deo propitio, ad extremum usque spiritum, se constantissimè perseveraturum; Itaque *per calcatum pergens Patrem, per calcatam pergens Matrem*, ut D. Hieronymus ijs, qui Christum perfectè sequi cupiunt faciendum monet, deque Sponsæ teneritudine, propinquorum precibus, lacrymis, ac promissis gloriosè triumphans, illud Desiderii, Beneventani Principis Filii, qui postea Victor III. Pont. Max: fuit, jure, ac merito usurpare potuit.

Intactam Sponsam, Matrem, Patriamque, Propinquos.

Spernens, buc proprio, Monachus efficior.

Imò ipsius etiam Ludovici plures repulsas, ut nimirum ejus probaret spiritum, an ex Deo esset, mira fortitudine excipiens, tanto acrius, ut inter Monachos admitteretur, instabat; ab illo enim trahebatur interius, qui de ovibus sibi à Patre traditis dicit, *Non rapiet eas quisquam de manu mea.*

II. Igitur non solum ipse, sed plures etiam alii ejus exemplo permoti D. Benedicti militiae adscribi maximâ animi contentione postulâtes, Voti compotes effecti sunt. At Maurus cum iret quot idie de virtute in virtutem, electus fuit Prior Cœnobii Sancti Spiritus extra Papiam, mox Sancti Sixti Placentiæ, ubique summam prudentiam, & eximiam Sanctitatem ostendens: Ipse enim, ut narrat Petrus M. Campi mox afferendus, missus à Ludovico Barbo, quem Placentini rogaverant, ut idem Monasterium reformandum susciperet, possessionem illius cepit, & aliquaudiū Abbatis quidem Authoritate, sed Prioris tantum titulo, superstite nimirum antiquo Abbatे, eidem præfuit. Creatus deinde Abbas, ipſi Ludovico successit in regimine Sæctæ Justinæ anno 1437, quod quidem regimen quater adhuc iteravit; anno scilicet 1439. anno 1444. an: 1447. demumque anno 1454. semper utilis, atque proficuus; Ædificia enim alia noviter extruxit, alia pulcherrimè exornavit. Templum, & Sacrarium vasis argenteis, calice cubitali, acerrâ X. pondo, Sacerdotalibus, & Leviticis vestibus auro pretiosè contextis locupletavit. Sacellum S. Lucæ Evangelistæ reparatum, picturâ celeberrimi ea ætate Andreæ Mantegnæ, alijsque ornamentiis decoravit, multoque ære Scriptoribus, Pictoribusque miniarijs conductis, ingentes Codices in usum sacræ Sinaxis conficiendos curavit; Sed quod his omnibus longè majus, & laudabilius est, ita semper se gessit, ut ne latum quidem unguem à Ludovici vestigiis declinaret, eâque rectissima via, quam ille calcaverat, strenuè incedens, divinum cultum, & Monachorum numerum probè augeret; & ut grati quoque animi virtutem erga eundem Ludovicum patefaceret, marmoreum Cenotaphium, & Epitaphium, quod adhuc extat, eidem posuit. Itaque post Barbum alter ipse Congregationis Paren's optimè de eadem meritus censi debet; qui jam sexagenario major, centu-
plum eorum, quæ pro Christo dimiserat, & Vitam æternam recepturus, in Ce-
lum

lum abijit anno 1457, prope fores Oratorii S. Danielis, in veteri claustro, sepultus, habiturus nimurum tumulum, (ut Cavaccius ait) propè Ossa Sanctorum, quorum pius æmula tor fuerat.

Ex eodem Jacobo Cavaccio Hist. S. Just: lib. 5. pluribus in locis, nempè pagg.

205. 206. 208. 222. 224. 225. 227. editionis Patavinæ anni 1696. Laudatus etiam Petrus M. Campi Hist: Ecclesiastica Placentina lib. 24. pag. 144. col. 1. hæc de eo, ejusque sociis Monachis habet: „ Non cessava Fr: Guglielmo Eremita di effortare bene spesso il detto Abbate (Pietro Veggia) à cedere il luogo agli Osservanti Padri della Congregazione di S. Giustina di Padova dell'istesso Ordine di S. Benedetto, che in tali germinavano, è fruttificavano di Sante Opere, accioche si riformasse, à guisa di tanti altri, questo sì degno, ed onorato Monasterio, è vi si aggiunse ad un tempo l'intercessione di D. Mauro Priore di S. Spirito di Pavìa, il quale proposto al mentovato Abate il modo di una riserva, che far poteva del titolo, è dell'uso frutto dell'Abbazia durante sua Vita, l'indusse ad effettuare quanto più tosto la rinunzia. *Ibidem* col. 2. Prevedendo ambidue (l'ottimo Cardinale di Piacenza Branda Castiglione, ed il Cardinale di Siena Gabriel Condolmiero, Veneziano, che fu poi Eugenio IV) il gran bene, che avvenir'ne doveva, non solo al luogo stesso, ma à tutta la Città di Piacenza, per la lodata, è santa Vita di quei Monaci, quali entrarono al possesso l'anno 1425, spedito che fu il Breve Pontificio coll'intervento di Monsignor' Vescovo (di Piacenza) Alessio deputato in ciò dal Papa esecutore Apostolico, ed il giorno sacrato à S. Martino diederò principio ad officiare con gran contento del S. Eremita nominato di sopra, è con molta frequenza di Cittadini parte da devozione, parte da curiosità tratti a vedere il nuovo rito di somiglianti Padri osservantissimi, che hebero per Priore il dianzi detto D. Mauro di Pavìa, persona non meno per l'integrità de' costumi, che per la somma prudenza riguardevole. „

M

Mors.

*Is fuit Fr:
Alexius de
Siregno, Me-
diolanensis di-
tionis Oppido,
ex Ord. Min.
Episc. primū
Bobien:deinde
Placentinus ē
Ughel:*

I. FR: MAURUS COGNOMENTO RAINONE ex Lauro, Oppido satis aplo, ac frequeti Capaniæ Felicis, Fratrū Commissorū cœtui adscribi Casini impetravit an: 1675. mense Aprili annos ipse agens triginta tres; Ab ipso suæ Conversio- nis initio præclara veræ pietatis, & religionis dedit specimina, adeo ut omnes majores, minoresque ejus virtutem amarent quidem, & simili etiam timerent, nec quisquam coram eo verbum aliquod minus castigatum proferre, aut actum aliquem minus decorum edere ullatenus auderet. Divina Sacramenta magno spiritus fervore, summâque reverentiâ crebrò percipiebat, paupertatem eximiè adamabat, in oratione erat assiduus, præcipue nocturno tempore, quo somno discusso ad purgandas, & accendendas lampades ante SS. Eucharistiam, D. P. Benedicti Corpus, cæteraque Altaria colluentes impigre surgebat, quod ministerium haud parvi incommodi, ac molestiæ erat, præfertim hyberno tempore, quo ob frigorū, ventorumque inclemantium lychni identidem extinguntur; quo expleto Deum gemitibus exorabat, & in cœlestium rerum contemplatione reliquum noctis tempus ad diem usque transigebat.

II. Carnem suam jejunis, vigiliis, aliisque laboribus, & asperitatibus affligebat; numquam è Monasterio egrediebatur, ne in proximum quidem hortum animi vel tantisper relaxandi causâ; gravi morbo in genu correptus, acerbissimos dolores eâ patientiâ pertulit, ut Chirurgus maximam in admiratiō nem adduceretur, nullam enim querelæ vocem emittens, hoc solum ingeminabat, oportet patienter ferre pro Domino nostro Iesu Christo. Rem sane metitia morandam, & admirabilem de eo narrabat Cæsar Tideus Casinensis Monaste-

*In Reli-
gionem in-
gressus.*

Pænitentia.

M

Obedien-
tia.De eo in Ca-
talogo Episco-
porum.

Charitas.

Is est familia
Piazzoni à
Seraùalle, an-
te aula equi-
ratum Prae-
fectus, è mi-
litari ad Mo-
nasticam Vi-

rii tunc Archiater, quòd cum Fr: Maurus aliquando lecto decumbens, Ischias cruciatus acerrimos toleraret, ad quos levandos ipse Medicus plura remedia, ac somenta præcipiebat; quadam die Rm̄us Abbas Andreas Adeodati ad eum invisendum accessit, illique dixit, jocosè potius, ut infirmis non nunquam dici solet, *Fr: Maure hæc tua infirmitas ignavia est, as socordia,* ideoque hæc medicamina nihil ad rem tuam faciunt, nihilque tibi profunt, surge protinus, & de hac infirmitate ne sollicitus sis, Maurus existimans seriò hæc ab Abbe dicta, sibique propterea obediendum esse, illicò è lecto surrexit, eodemque temporis momento (mirum dictu!) sanum se, & incolumnen sensit, & fugit dolor, & gemitus.

III. At Charitatem ejus erga Pauperes, & Peregrinos, quorum plures quotidiè Casinum confluunt, ab ipso in religionem ingressu, ad obitum usque servatam, (nam ab initio eorum cura illi fuit demandata), nulla lingua enarrare, nullus calamus, ut par esset, describere umquam sufficiet. Vix appulsos magnâ latitiâ, & humanitate expiciebat, & postquam eos ad Ecclesiam orationis gratiâ deduxisset, in Xenodochium intromissos ad præparatum ignem, siquidem hyems erat, appropinquare, ut à se frigus expellerent, jubebat; mox illorum pedes, unâ cum Monacho pauperum Hospitum Vicario, calidâ abluebat, linteoque tergebat, demum calefactis etiam cibis eos reficiebat; nam cum Monasterii culina haud parum distet à Peregrinorum Hospitio, ne cibi per viam frigescerent, eos in hippocastro reconditos conservabat. Insper data operâ Monachorum mensa quotidiè aderat & sëpe sëpius eis ibi inserviebat, ut quidquid ex ultronea eorundem abstinentia supererat, in Peregrinorum utilitatem, præter id, quod Monasterium eisdem elargiri solet, & quod ipsem sibi subtrahebat, (erat enim cibi parcissimus) æquè converteret. Nec eorum tantum corpora terreno, sed multo magis etiam animas spirituali alimento saturanda curabat, nam post coenam, antequam cubitum irent, devotissimas preces recitandas eis proponebat, & ut ad conscientiæ fôrdes in Sacramentali exomolegesi sequenti die deponendas, atque ad Sacrosanctum Christi Corpus summâ reverentiâ perciendum diligentissimè disposerent, ac præpararent, vehementer hortabatur, & rationem id rite faciendi pro virili edocebat; discessuros denique matutino jentaculo refocillatos, omnique charitatis officio cumulatos, tandem dimittebat; Quamvis autem eorum aliqui, ut plerumque contigit, rustici, difficiles, ac morosi multiplicia incommoda, & molestias sibi, alijsque afferrent, Mauri tamen charitas numquam refriguit, quippe qui hoc unum animo perpendebat, cuius nomen, ac Personam Peregrini referrent, Salvatoris nempe, ac Domini Iesu Christi, qui in Evangelio suo conceptis verbis dixit. *Hospes crux, & collegisti me; & quod uni, ex minimis meis fecisti, mihi fecisti;* si quâ verò die nulli Peregrini Casinum advenerant, dolens, ac mœrens huc, illucque incedebat, soope ad Monasterii januam pergens, si aliquem venientem videre potuisset, quo viso plurimum latabatur, & gaudio gestiebat, quod si tandem nullus appareret, ferè plorans dicebat, *bodie D. N. J. C. nos visitare minimè dignatus est.*

IV. Extremam infirmitatem, ac mortem anhelitus difficultas ei attulit, sed biduo antequam decederet, ut P.D.Bernardus M. qui ægrotanti frequens aderat, tunc autem alijs in rebus occupatus, adesse non poterat, accersiretur petiit, prænuncians duobus tantum diebus sibi adhuc vivendum esse, post quos nulla amplius se invicem videndi, & alloquendi suppeteret facultas. Omnes tunc quidem admirati sunt, putabant enim, plures etiam dies vitam eum producturum, nam viribus non adeò destitutus videbatur, rectè, & expedite dicebat,

cebat, & aliàs eodem morbo conflictatus, ex eo tamen convaluerat. Sed rei eventus præscium ostendit. Præsulem rogavit, ut quadraginta Missas ante suum obitum celebrandas juberet, subdens, *Sarcinulas esse præmittendas*. Interrogatus à laudato P. D. Bernardo M. an scrupulo aliquo, vel difficultate animi angeretur, respondit, nullâ, sed omnimoda cordis tranquillitate per Dei gratiam se gaudere; sumpto maximâ devotione, ac reverentiâ cœlesti Viatico, requisitus paulò post, quomodo se haberet, & si aliquid ei opus esset, optimè inquit, nam Deus mecum est, & ego secum, ideoque nihil mihi deest juxta illud(1) *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocavit:* Et(2) *simul cum illo omnia nobis donavit.* Paucis antequâ spiritum exhalareret horis, graviter Fratres omnes Commisso ad fideliter, ac reverenter Deo, Monachisque omnibus inserviendum, & precipue ad Charitatem erga pauperes, & Peregrinos exhortatus est, præmunitusque magna pietatis significatione exremæ Unctionis Sacramento, placidissimè in Domino obdormivit an. 1718. die 11. Nov. ætatis suæ 77. Tumulatus fuit de more in Ecclesia S. Annæ, sed peculiari arca inclusus, ingenti Sanctitatis opinione tum apud Monachos, tum apud Laicos etiam remotiores, ne dum circumpositos, quæ hactenus perseverat, relictâ. Cardinalis Iosephus Saenz de Aguirre, quo tempore Casini mansit Fr: Maurum omnimodè videre voluit, eique singularem benignantem, & benevolentiam ostendit, seque illius orationibus commendavit, propter eximiam, quæ de ejus sanctimonia conceperat existimationem.

M

tam conver-
sus, magno
pietatis, ac
religionis exē
plo Casini ha-
denus degēs,
ubi dñm Tyro-
num fuit Ma-
gister. Lector
Theologus, &
Vicarius Ge-
neralis Oppi-
di Citrarii in
Calabria ju-
risdic. Casin.

(1) Ps. 22.
(2) Rom. 8. 12.

De eo Cornelius Ceraso in Elogiis Monachorum Casinensium sui temporis, quæ MSS. in Tabulario Casinensi asservantur; sed pauca de eo narrat, quia multò ante ipsum Cornelius diem suum obiit. Ex relatione Cl: Viri D. Erasmi Gattola, Casino ad me transmissâ die 8. Decembris 1732. Ego ipse Fr: Maurum Casini vidi trium ferè annorum spatio, quo ibidem moratus sum, ejusque præclaram in pauperes charitatem perspexi; erat autem vultu semper hilari, & pio, qui Sanctimoniam, & *devotionem* præferebat.

MONACHI SANCTÆ JUSTINÆ PATAVINÆ initio Congregationis à Jacobo Cavaccio hac Sanctitatis methodo viventes describuntur Hist: S. Just. lib. 5. pag. 223. & seq. edit. Patav. anni 1696 ad an. 1438., Quod in primitiva Ecclesia legitur, fuisse omnium cor unum, & animam unam, de priscis illis Patribus etiam refertur. Divina Officia noctu, diuque ab universis celebabantur; Orationes, Meditationes, Iejunia tum regularia, tum ultronea, agebantur frequentius. Silentium statis horis inviolatum, sermo, cum liceret, de divinis rebus, quæ ineruditos accenderent. Quidquid ultra sumptus domesticos erat, pauperibus dabatur. Peregrinis, & infirmis inservire totius Congregationis usque ad æmulationem studium fuit. Nulla præterea cum sacerdotalibus conversatio, consanguineorum pia oblivio. Vester ex panno Liburnico crassiore, interulæ ex eodem instar cilicii. Lectuli ad hominis mensuram, tomenta nulla præter saccos palea infartos, culcitra villosa, quæ frigus arceret, non delicias ministraret. Linteorum nullus usus, quia ex præcepto S. P. Benedicti omnes vestiti cubabant. Privata exercitia ad normâ veterum Eremitarum in codicibus scribendis, vel in hortuli alicujus cultura. Doctiores Patres, vel in audiendis Laicorum Sacris Confessionibus, vel in exponentibus Sanctis Authoribus, laborabant: quot Codices, quales interpretationes manu scriptas vidimus? Utinam vel nostra in curiâ, vel aliorum malitiâ non deperiissent! Apud Cives ea erat de Cœnobitis nostris opinio, ut cum quis per Urbem incederet (rarò id contigebat) illum obvius quisque ac Sanctum veneraretur.

MONACHI ABBATIÆ FLORENTINÆ sub Gometio Abbe de quo supra

M circa an: 1440, à Thoma Salvetto Advocato Florentino, & Legumi Doctore in Vita laudati Gometii, quæ MS. extat in Bibliotheca ejusdem Florentinæ Abbatiae pluteo I.MSS. Latinorum PP. divisione prima tali Sanctitatis decorantur elogio . „ Monachos numero ingenti suâ optimâ disciplinâ eruditos, moribusque comprobatos suo studio asseditus est, non genere ignobiles, sed claros, nec tam ex Patriâ ipsâ oriundos, quam peregrinos, & militiâ, alijsque dignitatibus splendidos, & tot, & tales, sicuti nusquam legitur ibi fuisse. Illis autem ipsis primo numero insertis, omnibus fere jam defunctis, amarissimâ dirâque peste, quod, ut virtus de illo claresceret, factum esse monstratur, & ipsis quasi unico remanenti dati sunt alii non disparis numeri, aut æquales dignitate, sed plurimum in omnibus excellentiores, quibus, & carne solutis clade aliâ sâviente, advenerunt copiosioris numeri, & genere clariores, moribusque, & vitâ prudentiores, ac præ cæteris præstantiores, quorum multi in humanis ducuntur, & horum virtutes, ac merita haud sunt silentio præreunda. Fuerunt namque ipsis diem functi tales servi Iesu Christi, cui servire regnare est, quales nostris temporibus visi sunt, nusquam otiosi stantes, sed divinis curis, diurnisque, atque nocturnis horis inserti, cantantes mente purâ, atque sincero animo, lectionesque legentes, atque audientes suis locis ad invicem congregati, & disciplinas, jejunia, & quæcumque aspera voluntariè, affectuosèque in memoriam Passionis Iesu Christi supportantes, sacris literis otium dantes &c... Cum vero extremum clauderent diem, non illum calamitatis, & miseria tremebundi vocitabant, aut mortis mætore quæ ultimum terribilium esse judicatur, fremescebant, sed prorsus horum cogitatione abiecta, emissis vocibus gloriam reddentes Deo, hymnum *Veni Creator Spiritus* in jubilo lætitiae cantando ad aeternam Patriam migrabant, juxta illud, ridebit in die novissimo, & timenti Deum bene erit in extremis, & nonnullorum fide digno testimonio didici, hujuscemodi tempore signa plura apparuisse sanctitatis, ut merito mors illorum pretiosa in conspectu Domini justo judicio competitetur, & si de singulis sermo texeretur, nimis in longu traheretur historia.

MONACHI SUBLACENSES à Pio II. Pôt. Max. qui Sanctuarii illud invisit, Sanctitatis, & Regularis observantia hujuscemodi sortiuntur testimonium, Commentariorum ejus lib.6. pag.307. & seq., Pars Monachorum in hoc Monasterio, quod Sublacense diximus appellari, dies, ac noctes gratissimas Deo laudes canit. Pars in altero, quod specus vocitant, ad quod mille passibus ascendit. Pars in directa, & latitudo magnis suis ptibus, à Monachis redditâ est. Hoc profundissimâ in Anienem descendente rupe, inde altissimo imminente saxo, nec accessibilis ullo pacto, nisi modo ad dexteram, modo ad sinistram varios agens flexus in anguis morem ab imo usque ad summum ducta, & plerisque in locis muro defensa fuisset. Monasterium sub altissimo saxo ædificatum est, ita ut magna pars ejus vicem tectigerat, partem exterius construxere ades; ipsa sacra, & officia Monachorum multæ intra saxum patent. Benedictus Magnus ille Monachorum Pater, & Deo plenus, in quo Nursia totum, quod habuit bonitatis effudit, prius quam Domus aliqua hoc in loco constructa esset, aut homo quispiam habitaret, solus in hac Eremo Pœnitentia sibi locum delegit: procul ab humano cultu, nulli cognitus, nisi Deo, in duabus, sibi lapide lectum stravit: hic se vigilijs, ac jeunijs maceravit; hic Deo, gratissimum præbuit famulatum. Sequuti sunt eum discipuli, & cæpta ethabitari spelunca, sicut in altis scopulis nidos videmus hirundinum in crepidi, ne lapidum: ita est hoc Monasterium cernere affixum sublimi saxe, ex quo sope frusta concidunt, quæ aut Monachos perimunt, aut ædificij ruinam faciunt,

„ ciant. Multa hic Santi Viri miracula referuntur, & tintinnabulum ostenditur,
 „ quo Diabolus illusisse bonis ejus operibus conatus est. Monachi circiter viginti
 „ hic degunt, ut par est credere, Deo chari; numquam carnes edunt, Vinum mul-
 „ tâ domant aquâ, jejunia longa producunt, luxuria est duo ova comedisse;
 „ oleribus, & pane vescuntur, adsunt, & legumina; his epulis mensam onerant,
 „ brevissimum tempus cibo datur, nec multo majus somno, reliquum in oratio-
 „ ne consumunt: rem divinam peragunt summa devotione, & psallunt Deo
 „ confidenter: Major pars senum est, quorum plerique inoffensâ valetudine ad
 „ octogesimum annum pervenere, vultu alacres, & alloquo venerabiles, quo-
 „ rum unica cura est dissolvi tandem, & esse cum Christo. Pius cum superiùs,
 „ atque inferiùs, in utroque Monasterio rem divinam coram se celebrari jussis-
 „ set, & omnia loca exosculatus esset, quæ fama vulgaret, Benedicti corpus te-
 „ tigisse, spirituales gratias elargitus, quas Monachi petivere, & omnium con-
 „ scientiis abundè saturatis, ad Oppidum pernoctaturus descendit. „

Non dissimulaverim tamen veritatis injuriâ, & abnormi anachronismo, Monaste-
 rium Sublacense, quo tempore Pius II. illud invisit, Congregationi nostræ mi-
 nimè adhuc unitum fuisse; quæ utique Unio anno 1516. sub Leone X, quin-
 quaginta nimirum annos, vel circiter post Pij Sublacum Adventum, celebra-
 ta est; qua de causa Pij laudes in hoc Catalogo, secundum rationem tempo-
 rum, locum habere haudquaquam possunt; Quia tamen Sublacense Monaste-
 rium, ex quo tamquam *de Petrâ, unde excisi sumus, & de Cavernâ Laci, unde* *Isai. cap. 57*
præcisâ sumus, omnium nostri Ordinis Congregationum riuuli, imò Sapientiæ,
 & Sanctitatis flumina emanarunt, hoc præ ceteris omnibus peculiare habet,
 ut SSmi Patriarchæ de Mundo, Doemone, deque Carnis illecebris triumphantis
 prima sedes, ac veluti Virtutis Capitolium, & Gloriæ theatrum fuerit, quam
 ob rem jure, ac merito *Protomonasterii* titulo decoratur, ubi hactenus victo-
 riæ illius trophæa, spinæ videlicet vetustissimæ, Divi Francisci manu longo
 post tempore, rosis insertæ, non sine admiratione, & lacrymis conspicuntur,
 qua de re antiqui versus.

*Annis nimi-
rûm 700.*

*Hinc dumeta novas, tanto perfusa liquore,
 Franciscique manu culta tulere Rosas, quos ego Italicè sic reddidi.
 Le spine in rose di quel sangue asperse.*

Di Francesco la man' poscia converse.

Haud abs re videri poterit, nec pio, eruditioque Lectori ingratum, hic etiam
 ostendere, quanta fuerit Beatissimi Parentis spiritus amplitudo [*omnium enim Dial. l. 2. I.*]

Justorum, Gregorio M. teste, spiritu plenus fuit] qui ad ea usque tempora
 in Filis suis, nostræ postmodum Congregationi permixtis, vividus adeò, ac
 servens perseveravit, & ab unionem cum nostra Congregatione viam aperuit.

Hæc autem generatim de Monachis nostris in tribus hisce Monasteriis tam san-
 ctè olim viventibus, ut a laudatis Scriptoribus narrantur, hic referre ad alio-
 rum etiam exemplum operæ pretium duxi; nam quamvis de singulis eorum-
 dem, aliorumque Monasteriorum alumnis Sanctitatis famâ claris, quidquid
 scire potuimus, in medium jam attulerimus, & de reliquis, qui in ordine super-
 sunt, Deo dante, allaturi simus; quia tamen haud difficulter fieri potuit, ut
 plures alii Dei famuli, qui in nostra Congregatione, præsertim verò in præfa-
 tis Monasteriis vixerunt, me, aliosque Scriptores fugerint, in publicæ cogni-
 tionis lucem, præstituto à divina sapientia tempore, aliquando emersuri; ideo
 eos hac saltem communi laude, & indivisiâ gloriâ minimè interim fraudan-
 dos putavi.

N^o. I. B.

ICOLAUS ortum habuit in Prussiâ amplâ ad Balticû mare provinciâ: Natalē Urbem nemo, qui res ejus gestas literis cōsignavit, posteris prodidit. Parētes satis honesti, ac divites, itemque Catholici, atque admodum pii Filium in Dei timore educarunt, Qui cum adolevisset, ijsdem, ac Patriâ relictis, devotionis causâ Romam iter instituit, Sancta ejus loca ritè veneraturus, sed divino consilio Patavium delatus,

ibidem substitit: Nam cum ad D. Iustinæ Monasterium divertisset, Ludovici Barbo, sociorumque sanctimoniam permotus, & cœlesti prorsus conversatione allectus, inter eos admitti enixis precibus postulavit, quo impetrato anno 1414. die 6. Ianuarii, tanto spiritus fervore sanctæ Regulæ accuratè observandæ, & Virtutum omnium exercitationi se dedit, ut qui ceterorum antea cursum ad perfectionem admirabatur, reliquos omnes veluti Gigas, citatis gressibus jam anteiret, cunctisque ipse admirationi esset.

II. Itaque initio suæ conversionis id assequutus est, quod alii longo post tempore vix merentur, ut stupendis, supernisque visionibus, & apparitionibus illustraretur: Orationem frequentissimam lacrymis comitabatur irriguis. Silentium, solitudo, humilitas, obedientia illi in deliciis erant. Christi Domini Passionem magno cordis jubilo contemplabatur, ex qua meditatione plurimum in Dei amore proficiebat. Cum Sacrario inserviret, quadam die post solemnum Missam ad Aram maximam, de more, velo cooperiendam accedens, apparuit ei Salvator noster in ea plane specie, qua in terris cum discipulis conversabatur, ijsdemque verbis, quibus Apostolos vocaverat, ei dixit, *Sequere me*, ex qua voce, & visione totus in Deum absortus, flexis genibus immobilis diù permanxit in extasi raptus; iterumque post sex menses dum Venetiis Missam celebraret, vidi sub sacris speciebus eundem Mundi Redemptorem in eādem formâ, qua sibi prius apparuerat; imò soepius dum Sacrosanto Sacrificio interesset, postquam Sacerdos Consecrationis verba protulerat, Dominum Iesum sub pulcherrimi Infantis specie videre meruit. Quas visiones toto vitæ suæ tempore nulli umquam patefecit, cum *Sacramentum Regis abscondere bonum effe* Vir Sanctus optime nosset, sed tantum morti jam proximus uni ex suis discipulis Iuliano Genuensi, ejus Vitæ postea Scriptori, quem inter alios discipulos arctius amat, manifestavit, ad Dei videlicet gloriâ, cuius magnalia revelare, & confiteri honorificum esse cognoscebat, ipse jā à superbiâ, & inanis gloriæ tentatione securus, obtestans eum nihilominus, ne ante suum è vita discessum ea cuiquam narraret, addens se innumeris aliis visionibus tota Vita à Deo dignatum fuisse, quas ne elationis spiritus ei subreperet, semper reticuerit, sed nec tunc quidem præ languore, & virium, ac loquelæ deficientium impotentiam singillatim enunciare ullo modo quiret; quod sanè, quamvis nobis admodum dolendum sit, ea scilicet magno nostro detrimento silentio adhuc involui, inde tamen cognoscimus, Nicolaum mortali adhuc carne circumdatum eam beatitudinem assequutum, de qua Dominus in Evangelio loquitur, *Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt*.

Tob. 12.6.

Ibidem.

Matth. a.5.

III. Postea petente magno Dei servo Theophilo Michaelio (de quo paulo post) qui eum ob eximiam Sanctimoniam summopere diligebat, Abbe S. Benedicti de Padolirone, eò perrexit, ibique annis quatuor commoratus est. Missus deinde Genuam, in Monasterio S. Nicolai de Buschetto, quod ab ea Urbe aliquot passuum millibus distat, annis quatuor supra triginta perseveravit, pluribus miraculorum prodigiis in dies refulgens. Inter ea celeberrimum

N

rimum illud fuit, quo adolescentem in desperationis abyssum penè prolapsum, qui ad vitandam temporalem mortem, ad quam ob patratum facinus damnatus fuerat abnegata Christi fide, & eiurato Baptismo, animam humani generis hosti in perpetuum desponderat, Deo reconciliavit, & à Dæmonis Tyrannide penitus eripuit, & inter suos discipulos, & quidem bonæ frugi recepit, nam plures postea annos admodum religiosè vixit, & piè defunctus est.

IV. Fuit enim Nicolaus Tyronum ibidem Magister, discipulosque non paucos insigni morum Sanctitate informavit; quorum unus Franciscus à Novis Ligur ejusdem Cænobii S. Nicolai alumnus tantæ fuit Virtutis, silentii, humilitatis, ac mundanarum rerum contemptus, ut cum quodam die Monachi ad manuale opus, ut Regula præcipit, convenissent, (erat autem eo die opus sutorium) & ingens hominum strepitus in prato Cænobia contiguo repente exortus esset, omnesque alii ad fenestram, quæ illuc respicit, concurrissent, ut quid nam esset, oculis intuerentur, iste solus, Franciscus nempè, immotus ad opus suum remansit, nec palpebras quidem ad videndum attollens, nec vocem aliquam ad rem investigandam proferens, quod sane beato ipso Nicolao admirationi fuit, sed revera in ejus etiam laudem cedit, nam *Gloria Patris est filius sapiens.*

Cap. 48.

V. Illud quoque valde mirabile de eodem Francisco à Novis retulit laudato Juliano B. Nicolaus; quòd cum grassante Genuæ, & in circumiectis locis sæva pestilentia, è vivis sublatus esset, postridie cum ei funebre officium persolvendum immineret, repente redivivus surrexit, dixitque, se post animæ à corpore egressum, ad Christi tribunal deductum, graviter abeo fuisse increpitum, quia dum viveret de Romani Pontificis Vicarii sui, & Petri Apostolorum Principis Successoris in concedendis Indulgentiis autoritate (quamvis ex ignorantia potius, quam ex malitiâ) aliquantulum dubitasset, rediret proinde ad Vitam, & hunc reatum confessus, plenariam Indulgentiam recipere, ut abque ullo impedimento Cœlos ingredi mereretur, quo peracto, iterum in Domino quievit; ex quo intelligimus, & de Summi Pontificis hac etiam in re cœlitus ei collatâ potestate nefas esse, vel minimum, dubitare, & quam districtum futurum sit Dei judicium, in quo levissima quæque errata tanti ponderis apparebunt; quam denique eximia Francisci de Novis fuerit Sanctitas, qui ullâ aliâ peccati labे detentus fuit, quin illicò post obitum clarâ, beatâque Dei visione frui posset. In veteri Reg. sic de eo dicitur *Vir valde devotus quievit Buschetti peste percussus; fuerat discipulus B. Viri D. Nicolai de Prussia.* Sed ad alia Nicolai prodigia redeamus.

VI. Monachum energumenum à Dæmonis infestatione, quâ illum præcipitem agere tentabat, Angeli tutelaris ope, expulso nequam Spiritu, incolumen reddidit: Accensum ignem in nemore signo Crucis extinxit; Cordium secreta penetravit, & futura prædictit, carceribus detentum, & in mortis discrimen adductum liberavit. Nec ægris tantum corporibus salutem, sed multo etiam magis languidis animis Medelam afferebat; Prudentiæ enim, compunctionis, & charitatis, præfertim in hospites, & peregrinos spiritu plenus, singulari gratiâ afflictos consolabatur, cum infirmis infirmabatur, flebat cum flentibus, gaudebat cum gaudentibus, omnibus omnia factus, ut omnes Christo lucrifaceret; & quamvis eo tempore Cænobium illud tenui admodum censu frueretur, nihil tamen deerat timentibus Deum. Cum interim ipse sacræ paginæ, quanæ fere totam memoriæ commendaverat, Sanctorum Patrum, & aliorum piorum voluminum lectioni assiduè incumbens, ex eo-

rum

N

rum meditatione veluti ex fornace Divini amoris ignem conciperet, & ignitos de Deo sermones, tamquam fulgura ex ore emitteret, illud subinde repetens, Monachum devotum, atque ferventem omnia tum prospera, tum adversa aequanimiter tolerare, & cum Psalmographo jugiter dicere, *paratum cor meum Deus, paratum cor meum, cantabo, Et psalmum dicam.*

VII. Quā animi constantiam in Nicolao antiquus ille hostis iniquissimè fērens, magnoque percitus furore, quod sēpius sibi animarum prēdam ē fau-
cibus eripuisset, multiplicitē ei insultare non destitit, præsertim cum ex
Monasterii exhedra (*Capitulum dicimus*) violenter abreptum in Dormi-
torium transtulit, ut ex eo præcipitem daret; sed tunc quoque Sancti Angeli
præsto fuerunt, auxilium illi ferentes, & præsentia suā Dæmones repellen-
tes; quā etiam in re bonus iste Christi discipulus Magistro suo similis effectus
est, ad quem, postquam assumptus à Diabolo fuisse in S. Civitatem, & sta-
tutus supra pinnaculum templi, ductusque in montem excelsum valde, illo
jam recedente, *Ecce Angeli accesserunt, Et ministrabant ei.*

Math. c. 4.6. VIII. Cum itaque Nicolaus in Virum plane Angelicum evasisset, onus illi
Angelis quamvis humeris formidandū (regimen animarum) impositum fuit
nam Anno 1430. creatus fuit Prior ejusdem Monasterii S. Nicolai de Bus-
chetto admodum quidem invitus, quo munere aliquot annos invitus pariter
summā tamen vigilantiā, & discretionē funetus est, Monachos non minus
exemplo, quam verbo ad perfectionem adducens, indignum tamen se ad re-
gendas animas reputans, & ne divine contemplationis dulcedo per aliena
negotia sibi intercluderetur, vehementer timens; Quamobrem cum sum-
moperē optaret eo se munere obsvoli, multisque precibus à nostris Præla-
tis id peteret, nec obtineret, illud tandem à Deo B. Ursulæ, sociarumque
interventu, quibus mille Dominicas Orationes, totidemque salutationes An-
gelicas undecies recitatas, in eum finem obtulerat, mirabiliter impetravit.
Nam cum Patres in majoribus Comitiis Florentiæ celebratis hanc ei provin-
ciam prorogare statuissent, subitā mutatione, internoque impulsu ad acti, alium
elegerunt, & Nicolaum ab eo officio tandem quiescere permiserunt.

IX. Dilecta itaque Rachelis consortio, id est Sacrae meditationis, & oratio-
nis suavitate, annis ferme quindecim post Prioratus dimissionem gavisus est,
quo temporis spatio, ab omni jam curā liber, majori adhuc diligentia fese
ad agni nuptias, (scilicet ad mortem subeundam), disponens, ejus ample-
xibus aeternū fructurus, hinc emigravit an. 1436. die 23. Febr. quæ fuit Feria
3. ætatis suæ septuagesimo septimo, Federico III Imperante Callisti Papæ III.
anno 2. cum obitum suum discipulis ante prædixisset, ut quem corporeis oculis
sibi apparentem in terris viderat, cerneret jam in sua majestate regnante.
Morientis suprema verba hæc fuerunt, *Diem hominis non desideravi tu scis;* id
est, nihil in mortali vitâ jucundum, aut delectabile, quod carnem demul-
cere posset, quia nimirum mundus illi crucifixus fuerat, & ille mundo; se-
pultus fuit discipulorum manibus in ejusdem Sancti Nicolai Ecclesiā, è cuius
sepulchro per aliquod tempus suavissimus odor efflavit, quare Genuensem
Nobiliū operā, corpus in marmoreū tumulū translatum fuit, ad quem Dæmo-
nes, qui adhuc Nicolai nomen perhorrescant, ab obsecris corporibus hodieque
ausugiunt. Innumeris præterea miraculis ejus Sanctitatē Deus comprobavit;
nam ipsius meritis cæco lumen, muto loquela, insano mentem, hydropi-
co naturalis caloris vim, Emorroissæ sanguinis consuetum per venas cursum
restituit, pluresque alios infirmos vel ejus vestium solo tactu sanavit; aliaque
prodigia edidit,

N

IX. Ejus vitam duo Monachi illius olim discipuli, iidemque postea S. Nicolai de Buschetto Abbates, literis consignarunt, D. scilicet Julianus Vernatia, & D. Gabriel Garbarinus, utrique Genuenses, qui eam *Religioso, Devotissimo, ac Venerabilissimo Dei Servo* (ita enim eum appellant) D. Placido Veronensi S. Nazarii de Verona tunc Abbatii nuncupaverunt, & Maurus Orbinii Monachus Ragusinus, cuius vita exemplaria MSS. passim in his Monasteriis reperiuntur, & sunt etiam apud me; sed nuper Cl. Bernardus Pez Monachus Mellicensis in Austria, & Bibliothecarius typis tradendam eam Vitam curavit Augustæ Windelicorum apud Weithios, in suis Anecdotois. Extat etiam ejusdem Vita compendium MS. Romæ in Bibl. Romanæ Sapientiae inter Acta MSS. Sanctorum per Constantiun Cajetanum collecta, tom 2. qui complectitur Menses Januarii, & Februarii; nbi etiam sunt penè innumera-biles aliæ ejusdem Cajetani lucubrationes: Hujus pariter Vita Synopsim texuit Jacobina Bovetta de Blemur Monialis Benedictina SS. Trinitatis Cadomenis, Gallicè, in *Anno Benedictino* tom. 2. Mense Feb. ad diem 23. in Ita-*Caen in Nor-*licum Sermonem translato, & impresso Venetiis an. 1727. pag. 442., & seqq. *mannaia.*

X. De eo etiam Arnoldus Wion in *Martyrologio Benedictino* ad diem 23. Febr. Petrus Ricordatus *Hist. Monast.* dial. 4. pag. 573. & seq. Gabriel Bucelinus in *Benedicto Redivivo*. Jacobus Cavaccius *Hist. S. Justin* l. 5. pag. 152. usque ad libri finem, ubi eum, pedem devotionis gratiâ, Romam ivisse, & SS. Apostolorum vestigia, Martyrum trophyæ, & ruinas etiam Romanæ magnitudinis lustrasse affirmat. Inde Pisas adiisse, ut Martinum V. Pont. Max. eò paulò ante profectum veneraretur, ubi cum accepisset, reflorescere tunc Patavii institutum S. Benedicti operâ Ludovici Barbo, & maximam eorum Monachorum Sanctitatis famam vigere, eò animum intendisse &c.



AULUS ROCCA apud Cenobium S. Hieronymi de Sylvaria, quindecim millia passuum à Genuâ distante in Riparia orientali, Monasticam Vitam professus est an. 1422. die 15. Augusti, de quo nostra Regesta pag. 149. in margine dicunt, *Obiisse Placentiæ, ac fuisse magnæ Sanctitatis Virum, & Virginem,* in quodam verò alio Regesto, quod incipit ab anno 1409. & pervenit ad ann. 1507. additur, hunc eundem Paulum, fuisse Abbatem Placentiæ, & dum ea dignitate fungeretur, ibidem extremum diem clausisse, quæ fuit 26. Septem. sed annus obitus hic non indicatur. Crediderim autem hunc quoque B. Nicolai Pruteni, de quo modo differimus, qui per id temporis in alio nostri Ordinis Cenobio Genuę propinquo Sanctitatis jubar longè, lateque diffundebat, aut discipulū inter Tyrone, aut sectatorem è Sylvariensi Cenobio aliquandiū fuisse, ab eoque Virtutum omniū pracepta, & exempla accepisse, quæ tam egregiè, ac fideliter jugiter sit imitatus, illā Psalmographi adimpletā sententiā, *Cum Sancto Sanctus eris, & cum innocentē innocens eris.*

P

I. PAULUS STRATA Patria Ticinensis, amicus intimus, & condiscipulus in Patavino Licetio supralaudati Mauri Fulberti conterranei sui, dum in templo D. Justinæ sacris Majoris Hebdomadæ officiis, quibus Redemptionis nostræ Mysteria recoluntur, frequens adeset, repente divini spiritus afflatus, mundi contemptum, & Evangelicæ perfectionis votum corde concipiens, ad Ludovicum Barbo tunc ibidem Abbatem festinus convolans, summis pre-cibus, ut Monasticis institutis initiaretur, ab eo postulavit; & quamvis Ab.

Q

bas,

Pbas, qui cæteroquin nihil antiquius habebat, quam novellæ plantationi in Vinea Domini Dei Sabaoth, quæ exterminatoris culpâ diù fuerat in direptionem, & conculationem, initium aliquod dare, attamen ad probandum, an ea esset mutatio dexteræ Excelsi, non semel consensum dissimularet, Paulus nihilominus ex repulsâ avidior factus, ut ignis ex modicæ aquæ injecetu magis acuitur, vehementer adeò postulata iteravit, ut in ipso Paschali festo Monachi habitu indutus apparuerit, anno 1410. die 15. Augosti, quem totâ deinceps vitâ dignè adeò, tantoque virtutum omnium ornatu gestavit, ut Abbas Sanctissimus evaserit, & haud semel Congregationem universam supremâ Præsidis dignitate egregiè sit moderatus.

II. Fuit igitur Paulus primus Congregationis nostræ Monachus, qui Ludovicî Barbonutantem, ac pene collabentem, de restituendâ in D. Justinæ Cænobio regulari observantiâ præconceptam jam diù spem, insperatò erexit, & sustentavit; nam cum annus, & semis à suscepto Iustiniani Cænobii regimine jam effluxisset, nec ullum adhuc prædictionis, per Marcum Presbyterum sibi factæ, principium videretur, & Ludovicus animum jam fere despondens, de Cænobia relinquendo, deque solitariâ extra Urbem vitâ capessendâ consilium corde agitaret, Paulus subito adventu suo timorem ei omnem, & dubitationem ademit, & ad opus adeò insigne strenue prosequendum opportunè obfirmavit, quo præterea insigni facinore Paulus, juxta cognominis sui vim, & etymon, aliis quoque, ac in primis laudato Mauro Fulberto ad Religionem nostram veniendi tutam, latamque viam illicè aperuit.

III. Cum enim Maurus ægrè admodum ferens Paulum sodalem suum asperum illud vitæ genus inconsultò, ut ipse quidem arbitrabatur, delegisse, nullum non lapidem movit, ut eum ab hoc proposito revocaret: Sed contra accidit; nam à Paulo pro Monastica Vitæ præstantiâ allata rationes, altè adeò Mauri animum penetrarunt, ut illum quantumvis repugnantem, ad ipsam, quam oppugnabat religionem amplectendam, in funiculis Adam, & in vinculis charitatis statim attraxerint; quorum exemplo, Pauli scilicet, & Mauri, tot alii subinde permoti sunt, ut jam iis recipiendis Cænobii cellulæ haud satis essent. Veneremur ergo Paulum, & commendemus omnes oportet, quotquot Sanctissimæ huic Congregationi, Deo Authore, nomen dedimus, non solum ob singularem, quâ fulsit, morum Sanctimoniam, sed etiam tamquam nostrum omnium Primogenitum Fratrem, & totius Congregationis post Barbum felix primordium, ac nobile fundamentum.

Ex Arnaldo Wione in Ligno Vitæ, ubi de Præsidentibus, & ex Jacobo Cavacio Hist. Sanctæ Justinæ Lib. V. pag. 205.

FR: PHILIPPUS à Monte Caveoso, in Cænobia Casinensi Conversus, seu, ut nos dicimus, Comissus, à Felice Egger Monacho Petrhusiano, in Idea Ord.-Hierarch. Bened. Libello II. par. 3. diff. 3. pag. 430. celebratur tamquam divinarum rerum contemplationibus deditissimus, præsertim Dominicæ Passionis mysterio corde, ac mente ita affixus, ut nonnumquam à sensibus alienatus, & in Deum omnino raptus sit visus: Erga Bñm quoque Virginem Deiparentem tantæ Religionis, & fiduciæ fuisse perhibetur, ut eum aliquando ad illius Laureanas ædes devotionis gratiâ accedentem, ingruentes undique pluvia intactum prorsus reliquerint. A corporis denique compage absolutus dicitur anno 1554., & in Cœlum comitantibus Angelis delatus.

PLACIDUS de Leonibus ex loco Ætruriæ propè Florentiam *Bucine* dicto, S. Mariae in eadem Urbe Florentinâ alumnus evasit anno 1563. die 5. Decembris. De eo, ut refert Placidus Puccinellus in Chronico Abbatiae Florentiae

pag. 147., sic reperitur scriptum, *Vir Vitæ innocentissimæ*; nam singulari virtutum exemplo vixit, & piissimè obiit, in oppido Bugiano appellato (ubi parvum Cænobium Abbatia Florentiæ adnexum extat) anno. 1595., ejusque Corpus magno honore Florentiam delatū in eadē Abbatia tumulatū fuit.

P



OLANDUS CASALIS honesto genere Patavii prodidit, & in D. Justinæ Cænobia, ubi parvæ admodum Cluniacensi reliquiae adhuc supererant, divinâ providentiâ ducete, unâ cum Antonio germano suo D. Benedicti Regulæ professus est, unde cum postea, tum hi duo, tum aliis, cuius nomen desideratur, à Card. Corrario Gregorii XII. Fratris Filio Archiepiscopo Bononiensi, & D.

Justinæ Commendatario, immisis Olivetanis Monachis, extrusi essent, apud Cives, & Magistratum Patavinum acriter vicem suam conquesti sunt; illud addentes, paratisimos sese ad Monasticam disciplinam juxta veterem formam, proprio præeunte exemplo, restaurandam, dummodo id eis liberum foret, & Abbas quis deputaretur, strictioris observantiæ unâ cum ipsis exactor, & exequitor; quæ utique causa fuit, & Monasterii illius pristino decori, & sanctimoniz restituendi, & nostræ hujusc Congregationis fundamenta jaciendi.

II. Nam Patavini, rem minimè negligendam rati, eam ad Venetum Senatum, isque ad summum Pontificem Arimini tunc manentem properè detulerunt, qui superno instinctu, ejusdemque Cardinalis Bononiensis suasu, Ludovicum Barbo Concanonicum olim suum D. Justinæ Abbatem constituit, ex quo ea commoda, iisque fructus, qui tum in nostrâ Bibliothecâ, tum in hisce Catalogis describuntur, ubertim emanarunt.

III. Rolandus itaque, cum sociis, obtento tanto Præsule, in Monasterium suum postliminio reversus, promissisque stare volens, Ludovici jussu, & exemplo, quidquid antea ad peculiarem usum habuerat, in commune collato, absolutissimæ S. Regulæ observantiæ, quoad deinceps vixit, summo semper studio vacavit, & pro instituendâ Congregatione cum eodem Barbo strenuam operam impendit. Denique dum parvo Cænobia S. Salvatoris apud Montem Silicem, quod D. Justinæ Monasterio unitum est, præcesset, ad æternitatis braviū in Cœlesti Curiâ assequendum ex hac vita migravit anno 1449. cuius corpus Patavium allatum, in veteri clauistro tumulatum fuit. Eum haud immerito Bernardinus Scardeonius *Beatis* adscribit, & præclaro encymio prosequitur, quod in maximâ licentiâ, solus ferè Monachalem honestatem retinuit, & Sanctorum Dei reliquias, & templum difficillimis temporibus apprimè curaverit, Ex eodem Scardeonio de Antiquitate Urbis Paduæ l. 2. Classe 6. pag. 111., & Iacobo Cavaccio Hist. S. Iust. l. 5. pag. 220. 224., & 226. secundæ editionis Patavinæ anni 1696.

R



HEOPHILUS MICHAELIA, patriâ familiâ, Venetiis ortus, adhuc in saeculo degens, vir erat modestus, & probus, & quamvis aliquantulum mundi pompis, & elegantiis deditus, nam divitiis affatim abundabat, quas Cænobium S. Gregorii Majoris ab eo in Commendam obtentum haud parum augebat, pietatem nihilominus, & devotionem magnopere seftabatur; quippe qui Ecclesias, & sancta loca frequenter visitabat; quod dum faceret in templo S. Justinæ, ubi tunc Monachi mirabili Sanctitate florebant, intuens quoddam ex ipsis propriis manibus

T

Tbus pavimentum verentes, alios extensis brachiis ante Altaria prolixius orantes, eâ re compunctus, & in lacrymas effusus, in virum alterum sese illicè mutatum sensit, & ad amplectendum tam laudabile, sanctumque Vitæ genus omnino propensum.

II. Nec mora; ad Abbatem pergens, (erat tunc toties laudatus Ludovicus Barbo) ut se inter suos Monachos admitteret humiliter petiit, obtinuitque, anno 1414. die 17. Ianuarii: quod tamen minimè satis habens, mores scilicet suos ad Sanctæ Regulæ præscriptum composuisse, jam Dei zelo æstuans, Cœnobium etiam S. Georgii, cuius erat Commendatarius, ad optimam frugem redigere percupiens, ab eodem Ludovico Monachos aliquot observantissimos impetravit, quibuscum Venetas regressus, opus adeò laudabile verbo, & exemplo perfecit. Vixit autem in nostrâ Congregatione eâ virtutis famâ, ut cum Magnum Monasterium S. Benedicti de Padolyrone in agro Mantuano, operâ Guidonis Gonzagæ Abbatis Commendatarii, æternâ laude, & memoriâ digni, Congregationi S. Iustinæ unitum esset, ipse primus omnium ejusdem Cœnobii Prior, Abbatis tamen autoritate, fuerit electus, nam Abbas vocari, Guidone vivente, haudquaquam poterat; quod tamen neutquam obstitit, quin prudentiæ, & sanctitatis opinione ubique notus, ac celebris, totius Congregationis jam constituta secundus post Barbū Præsidens crearetur anno 1425. iterumque anno 1427. post eundem, ac denique tertio anno 1430. supremum magistratum teneret.

III. Delectatus autem fuit plurimum piâ B. Nicolai de Prussia consuetudine, eique arcta familiaritate conjunctus, & cuius Sanctitatem admirabatur, ejus virtutes æmulari studebat, quem propterea ex Monasterio S. Iustinæ, ad Cœnobium Mantuanum transferendum curavit, ibidemque quadriennio detinuit: Ut autem restituta Venetiis suâ operâ in S. Georgio regularis observantia felicius procederet, ac firmius, & diutiùs preseveraret, Romam profectus est, ut ab Aplicâ Sede facultatem impetraret, Monasterium illud Congregationi nostræ perpetuo uniendi, quo obtento, dum ad propria rediret, Perusii in lethalem morbum incidit, & in Conventu FFr. Predicatorum (nondum enim Monasterium S. Petri ejusdem Civitatis nostræ Congregationi adnexum fuerat) animam creatori suo devotissimè reddidit anno 1431. cunctis, qui aderant, pretiosæ ejus mortis admiratione commotis. De quo illud testatus est, qui ejus Confessiones exceptit, illibatam Virginitatem ad obitum usque eum servasse.

IX. Ex Vita supra laudati B. Nicolai Pruteni à Juliano Vernatia, & Gabriele Garbarino ejus discipulis conscriptâ cap:3. quæ MS. in nostris Monasteriis paſſim invenitur, alibique, & nuperrime impressa fuit Augustæ Vindelicor: apud Weithios operâ Cl: Bernardi Pezij Monachi, & Bibliothecarii Mellicensis: Et ex nostris antiquis Regestis, in quorum uno scripto anno 1507. Sic de eo habetur 1414. Paduæ die 17. Ianuarii. D. Theophilus de Venetiis. „ Hic Venerabilis Pater fuit de domo nobili Michaeliâ, sed virtute, & religiositate nobilior; obiit Prior Sancti Benedicti de Padolyrone 1431. plenus sanctitate: fuitque cum supradicto B. Nicolao insolubili charitate conjunctus, cum quo nunc in Patriâ beatâ Dei visione fruitur. De eo etiam in nostra Bibliotheca.

THEOPHILUS à Mediolano, in sèculo *Galeottus de Beaquis* celeberrimus I. V. D. Monachus factus est in Cœnobio S. Benedicti Mantuani anno 1452. die 30. Ianuarii, qui antequam solemnem professionem emitteret, legavit eidem Monasterio libros omnes à se antea possessos, tam qui in eodem Monasterio tunc reperiebantur, quam qui Ferraria apud D. *Ladrifum de Cribellis* Mediolanensem, & I. V. D. Anno autem 1459. effectus jam Abbas præfati Mona-

Mölk.

T

T

sterii Mantuani, recepit à D. Guidone de Gonzaga Abbe Commendatario qui, ut opinor, tandem consenserat, ut Superior ejusdem Cænobii Abbas vocaretur, ducatos aureos 560. ad novum Dormitorium, & Valetudinarium construendum, eodemque anno, mense Octobri hospitem ibidem excipere meruit Sanctissimum Pontificem Pium II., qui eò venerat, Mantuanum Concilium celebraturus, cuius insignis adhuc extat memoria propè minorem. Ecclesiæ januam, affixâ parièti marmoreâ Pii statuâcingulo tenus, subjectâque inscriptione.

Has quondam Sacras visendas venit ad ædes.

Papa Pius, ternos mansit, & ille dies.

II. Anno 1460., & sequenti, cum ei, Deo authore, feliciter cuncta procederent, emptâ domo in Civitate, variisque in agro prædiolis, Cænobii rem ubique adauxit; anno autem 1462. fuit Abbas S. Georgii majoris Venetiarum, & totius Congregationis Præses, quæ dignitas iterum ei delata fuit an. 1465. dum adhuc esset Abbas ejusdem S. Georgii, & tertio demum anno 1469., cum Mantuano Cænobio iteratò præcesset; ut ex Catalogo Præsidum nostræ Congreg: & ex Regesto veteri Professorum, aliisque monumentis S. Benedicti de Mantuâ in Tabulario existentibus, & ex Arnoldo wione Lign. Vit. lib. 5. c. 7. In quibusdam autem Regestis recentioribus omnium nostrorum Monachorum pag. 32., & 33. à tergo in margine de eo dicitur, *I. V. D. obiit Abbas S. Georgii ter Præses, & Sanctus*, quod sanè, Monasterio etiam S. Georgii secundâ vice eum præfuisse demonstrat, ubi diem extremum clausit.

III. At de ejus Sanctitate vereor, ne in hisce Regestis laboretur æquivoco inter Theophilum Michaelium, de quo paulò ante, insigni Sanctitate conspicuum, S. Benedicti Mantuani annis pluribus Præsulem, & totius Congreg. tribus vicibus moderatorem, & hunc ipsum Theophilum Beaquium, qui longo post tempore pari dignitatis loco, & numero fulsit; de quo D. Iacobus Astensis in Libro *Authoritatum* &c., his verbis loquitur, Erat autem tunc temporis Abbas supradicti Monasterii *Religiosissimus* Pater D. Theophilus de Mediola- no, qui anno 1459. de mense Octobris, hospitem recepit SSimum Pontificem Pium II., Nec alia monumenta ejusdem Monasterii à nobis supralaudata peculiare aliud de ejus Sanctitate indicant. Quod tamen ita dixerim, ut ne latum quidem unguem Theophili Beaqui Sanctitati, siquidem eam in eminenti gradu possederit, officere ullenus velim, sed dumtaxat æquivocationem omnem vitare cupio, donec clariùs, & tutiùs hac de re aliquid constet. Cæterum prioribus nostræ Cong. annis, omnes fere Monachi, præcipue vero Abbes, qui eo potissimum nomine præfiebantur, ad Sanctitatis culmen totis viribus contendebant, ut pluribus in locis satis ostendimus.

I. THOMAS PRESTONUS, sive Hudlestonus nobili stirpe in Angliâ genitus, Casini in tutissimâ Monasticæ Religionis arce consedit anno 1592. die 16. Iunii; Quoniam vero Nationis suæ animas Deo lucrâdi zelû minimè deposuerat, obtentâ in Angliam redeundi, cum socio itidem Anglo viro docto, & probo, facultate, annuente etiam, vel jubente Urbano VIII. Pont. Max. dum Apostolicum Ministerium sedulò adimplet, à refractariis, Catholicæ veritatis osoribus comprehensus, tamquam læsa Majestatis Reus capitis pænâ damnatur; sed quia unius mortis supplicium parum crudelitati videbatur, mortis sententiam in perpetuam carceris custodiam commutarunt; ut si diutinè ibi vixisset, adeò miserè vivens, jugiter moreretur, & vita ab eo in dolore transacta, mors esset potius dicenda, quam vita.

II. Vixit autem illâ in ærumnâ, & squallore annis quadraginta, vel eo am-

*Vbi Com-
missorū Se-
pulchra.*

De eo L. I.

plius

T

*Baronius in
notis Marty-
rol. ad diem
23. Jan. nar-
rat ex Nice-
phoro l. 7. c.
14. Clemens
tem Ancyra-
num Epum
28. an. conti-
nuis ob Chri-
sti fidem à
Gētilibus re-
xationibus a-
gitatum.*

Anno. 2685.

plius invictâ prorsus constantiâ Catholicae Fidei glriosus Athleta, singulis momentis de morte generosè triumphans; quâ in re similis quodammodo vide ri potest celeberrimo Christi Martyri Clementi Ancyranô, qui ab Ethnicis non minus quadraginta annorum spatio quotidie quidē, sed citra mortem cruciatus, non diu vivere permisus est, sed tardè mori compulsus est. Longissimi ergo certaminis cursu strenue consumato, ad palmas, & coronas in Cœlo percipiendas, aternūque gestandas transivit anno 1647.

III. Ex Gabriele Bucelino in Bened. Rediv. ad ann. 1641. Angelo de Nuce in Notis ad Chron: Cas. Leon. Ostien; lib. 4. c. 108. §. cc. num. marg. 2013. Iulio Ambrosio Lucenti, idest D. Erasmo Gattola, in Ital. Sacr. restr. aueta &c. ubi de Episcopatu Casinensi pag. 1041. Vide nostram Bibliothecam L. T., & etiam nostrum Catal. Reformatorum pag. 24. Ejus gentilis, & propinquus Ioannes Hudlestonus Ordinis nostri Carolo II. Angliae Regi morienti adstitit, eumque Catholicae Ecclesiæ reconciliatum per verâ fidei confessionem, quam à multo tempore corde tenebat, Sacrosan. Eucharistiæ Sacramento refecit, qua de re vide Ignatiū Hyacinthū Amat de Graveson in Tab. Chron tom. 9. pag. 219. quod etiam ex aliis documētis mihi compertissimū est.

I. TIMOTHEUS CARMINATI Patriâ Genuen: apud S. Nicolaū *de Buschetto* aliquot millia passuū à Genua remotum, in numerum Dei familiarium per vota monastica admissus fuit ann. 1636. die 24. Maii; sed post nonnullos annos Patriæ, reliquoque terrarum Orbi valedicens, Casinum commeavit, ibique quadraginta prorsus annorum spatio ad obitum usque constantissime perseveravit, splendidissimos Sanctimoniac radios circumquaque diffundens; nam die noctuque Divinæ Psalmodiæ indefessus intererat, omnibusque aliis regularibus exercitiis impiger aderat. Cibi abstinentissimus, satis parum ad matutinum prandium, ad cænam vero serotinam fere nihil sumebat. Dilectione in Deum, ac proximum fervens, Casinen. Nosocomii plures annos diligentiss. curam gesit, & pauperes infirmos, non solum corporalibus subsidiis, sed multo etiam magis spiritualibus auxiliis ad christianam pietatem informabat. In Pœnitentium Confessionibus audiendis assiduus, in errantium culpis fortiter, & suaviter redarguendis admodum sedulus, eos *in funiculis Adam, & in vin-
culis charitatis*, id est *in Spiritu lenitatis* ad Deum trahebat: Erga Dominicam Passionem, ac Bñam Virginem tenerrimo pietatis sensu afficiebatur: Quotidie placationis hostiam in Sacros: Sacrificio de votissime Deo offerebat, nequidem in itinere constitutus illud omittens; singulari prærogativâ animas ad perfectiore vitâ instituēdi à Deo donatus, inumeros Spirituales Filios Jesu Christo peperit, inter quos Franciscum Crispinum Sacerdotem virtute, ac probitate conspicuum. Quamobrem Ven. Franciscus Marchesius Congr: Oratorii de Urbe cunctis suis discipulis ad propriā cujusque Patriam in Casinen: vicinia Româ abeuntibus, hoc unum præ ceteris monitum dabant, ut sese Timothei consiliis humiliter submitterent, eique in omnibus obtemperarent.

I. Et sane quotquot ea in regione peculiariter Deo inserviebant vel Laici, vel Ecclesiastici, ab eo dirigebantur, nec paucis explicari potest, qua in veneracione, virtutisque opinione haberetur, non solum à Monachis, & universo illius Provinciæ populo, sed etiam à pluribus insignibus Viris exteris, ac longius positis. Episcopi quoque Cajetani, & Aquinates, eum saepius accercebant, ut Monialium, aliarumque personarum animas suâ doctrinâ, ac pietate instrueret, ac solaretur, erat enim Moralis Theologiae, sacrorumque Rituum peritissimus, affabili, hilarique vultu, & jucundâ consuetudine, sed qui simul modestiam, & religiosam gravitatem ostenderet. Tandem anno 1691. die 5.

Mar-

Martii ad bonorum operum palnam in Cœlis percipiendam per temporalem mortem a Domino vocatus fuit, magnâ omnium, qui aderant, singulari edificatione, & veræ pietatis exemplo.

T

III. Jam verò de ejus Sanctimonia plura extant clarissimorum Viroru m judicia Nam Angelus de Nuce Archiepiscopus Rofsan: & olim Abbas Casin: sub quo Timotheus aliquandiù Casini vixit, tunc Romæ degens, auditâ ejus morte in quadam Epistola eodem an: die Martii XVII. scriptâ ad Cl. Vir. D. Erasmus Gattola, sic de Timotheo loquitur . „ Mi è doluta la morte del P.D. Timoteo , essendo mancato à M. Casino un vivo esemplare di ogni Cristiana , è religiosa Virtù ; ne io lasciarò difar' celebrare qualche Sacrificio per lui , an corchè io habbia per certo , che da lui si goda la felicità eterna . „ Pompejus Farnelli Episcopus Vigilien: in Apulia Parte 3. *Speculi Cleri Sæcularis*, in qua continentur Elogia Presbyterorum Sanctitate Ill: impress. Neapoli apud Antonium Bulifon' an. 1679. in Elogio D. Francisci Crispini fol. 349. de nostro Timotheo sic loquitur . „ Durò quindici giorni la sua infirmità , ed un giorno sì , ed un altro nò cibossi del SSmo Corpo di Gesù Cristo per mano del P.D. Timoteo da Genova Monaco Casinense suo Confessore , la cui Virtù può argomentarsi dall'haver havuto per suo spiritual figliuolo questo ottimo Sacerdote , ed asserisce , che ogni qual volta si communivava , prorompeva in tali atti di umiltà , ed amore , che commoveva i circostanti tutti à piangere . „ nel fogl: 352. „ Il mentovato P. D. Timoteo Monaco Casinense Religioso di non ordinaria bontà , è dottrina , suo Confessore , in ricevere il Ritratto , che haveva vivamente desiderato di esso D. Francesco, a chi glie lo inviò , così risponde; Lo voglio tenere nel luogo più conspicuo della nostra Cella, acciochè la sua memoria mi ecciti à compunzione , ed emenda de'miei peccati , ed adimitare le sue rare virtù , come faceva colla presenza , quando veniva a ritrovarmi . „

Denique Hieronymus Andruzzi Abbas Titularis nostræ Congregationis in Elogijs MSS. plurium Monachorum , asservatis in Tabulario Casinensi hæc de Timotheo scribit. „ Ecco la stella polare Cinosura felice di questa nostra Terra , è Cielo , alli di cui moti si aggirano degli altri tutti le volontà ! Maestro di sagre Cerimonie , è il P. D. Timoteo , quale più addottrina con la bontà della Vita. Chi con lui parla , s'infiamma di santi pensieri , ed altro non cerca insegnare , se non il vero modo di onorare il Datore della Vita . Nei Chiostri vive , ma con mente sempre al Cielo elevata , più di devote contemplationi , che di cibo si pasce. Se qualche cosa raccorda , ed insegnà con tanta modestia , con simile modo , che chiaro apparisce , non di altro spirito guidato , salvo che dicarità ardente , di piacere à Dio , è giovare al prossimo , muoversi in simili occasioni &c. „

Is autem D. Hieronymus Andruzzi Patria Venetus S. M. de Pratalea propè Patavium alumnus ad Prioris gradū electus , quo abrenunciato , Abbas Titularis creatus fuit , sed öniū pertegus Casinū cōmgravit circa an. 1673. ibique XVII. annis , quoad vixit permanxit , regulari observantiae die , noctuque assidue vacans , paruum hortulum manualis exercitationis causâ succisivis horis excolebat , sed multo magis virtutum omnium fructus ad Dei laudem , & proximi exemplum edere summa vi satagebat. Quadam nocte dum ad matutinum Officium , ut ei constans mos erat , pergeret , pede per scalam , qua ad nocturnum Chorum itur , deficiente , graviter cecidit , fractâque dextrâ lateris coxendice , Monachorum manibus ad cellam reductus fuit; Sed quamvis admodum senex , medicamentis appositis , mox ut convalluit , Chori diurnam , nocturnamque

T

namque frequentiam invictè repetijt, & ad obitum usque continuavit, nam anno 1690. die 18. Oct. feliciter vivis exedens, in Cœlum, ut fas est credere, convolavit, æternâ, beatâque valetudine fruiturus. Utrumque, Timotheum scilicet, & Hieronymum ego admodum adolescentis Casini vidi, & eorum virtutes sum admiratus, magnamque singularis probitatis opinionem, quam de ipsis omnes habebant, optime cognovi, sed quæ nunc de illis, præsertim de primo narravi, ex relatione accepi Cl. Viri D. Erasmi Gattola Abbatis S. Matthæi Servorum Dei, & Tabularij Casinensis Praefecti.

I. THOMAS EUSEBII à Reate in Sabinis Monasterij Farfensis adscriptus est Alumnus an: 1662. die 24. Aug. Sed circa an. 1676. Casinum perrexit, ubi Vitæ Spirituali se penitus devovit; incæpitque à jejunis multis, aliquot hebdomadæ dies aqua tantum, ac pane utens, reliquis verò parvo admodum cibo, nec umquam carnibus vescens, nec tunc quidem, cum debilitatis, aut infirmitatis ergo, id Regula permittit. Divina Psalmodiæ die, noctuque assidue aderat; imo post matutinam recitationem, nequaquam cubitum, ut plerique solent, redibat, sed Ecclesiæ altaria circumjens, antelucano tempore ad sacrum peragendum sese diligentissimè disponebat, quod die illuscente religiosissimè quotidie celebrabat. Mox ad mentalem orationem, quæ vix exerto sole ab omnibus in Choro habetur, rediens, primâque horâ Canonica personatâ, minimè adhuc ab Ecclesia recedebat, sed totum fere ante meridianum tempus orans, & alia Sacra audiens, ibidem transfigebat.

II. Ob eximiam erga infirmos tum Monachos, tum etiam Laicos charitatem sive in temporalibus, sive in spiritualibus necessitatibus, praefectus fuit annis pluribus Casinensi Nosocomio, quo tempore accidit res memorata admodum digna. Egrotavit ibidem Rusticus, qui morbo ingravescente ad extrema devenit, perceptisque omnibus Ecclesiæ Sacramentis, & animæ commendatione completâ, agoniam ingressus est, in qua dies omnino octo perseverans, nec moriebatur, nec mori posse videbatur, cunctis, ipsisque Medicis obstupescientibus. At Thomas id quod erat suspicatus, reticuisse eum scilicet datâ opera grave aliquod peccatum in Sacramentali Confessione, nec se rectè ad mortem comparasse, non cessabat jugiter, omnique meliori, quo poterat modo eum hortari, ut si peccatum aliquod in Confessione volens abscondisset, id confiteri tanto animæ suæ periculo per erubescientiam non detrectaret; Tandem misericors Deus, ut Rusticus rediret ad cor, & reatū suū ritè confiteretur, sua gratia effecit; nec mora, post Sacerdotalem absolutionem defunctus est.

III. Thomas deinde in gravissimam ægritudinem incidit, ex qua mox ut convuluit, Medicorum consilio Casinense Cœlum admodum tenui, ac rigidum crassiori, & mitiori Farfensis Cenobii commutavit; ibi ego illâ transiens tunc eum vidi anno 1679. Tum ob vitæ meritum, tum ob Apostolici Poenitentiarii munus Romæ anno 1675. in D. Pauli Basilica gestum, Decanus creatus fuit; Sed an. 1687. eo honore sese abdicavit, ut majoribus aditum clauderet, Deoque arctius adhéreret, qua de causa an. 1685. Casinum rediit, ubi unanimi Abbatis D. Andreæ Adeodati, Monachorumque omnium consensu inter Casinenses sodales admissus fuit, & Tyronum Magister constitutus, eaque propter iterum Decanus renunciatus: Quadriennio ministerium hoc vigilantissimè adimplevit; jejunia, vigiliæ, reliquasque observatiæ omnium primus exercens; Hac provincia perfunctus iterum Decanatu voluit absolvi, eum non amplius suscepturus; Sed cum Casinensis aer ei plurimum obesset, denuò inde discedere coactus fuit; Perrexit igitur Mantuam ad M. D. Benedicti Cenobium, ubi pariter Tyrones brennio rexit; Inde Mutinæ in S. Petri Parochus fuit, quibus

Cap. 39.

T

quibus in Cœnobiis, sicut etiam S. Petri de Saviliano, & S.M.Cœsenatis, tum apud Monachos, tum apud Cives ob singularem pietatis opinionem, maximâ fuit in veneratione. Tertiò demum Casinum remeavit an. 1705. ibidem quo dudum, imò severiori adhuc vivendi generè ad obitum usque mansurus, in Laicorum scilicet Confessionibus jugiter audiendis, in orationibus flexis genibus diutiùs protrahendis, in jejunis, in vigiliis, in flagellationibus asperius, frequentandis, ceterarumque virtutum actibus sèpius edendis, nervos omnes intendens, cum alioquin pelle tantum, & ossibus constare videretur; Erat quidem Monasticæ paupertatis studiosissimus, & nihilominus, quantum illa permittit, liberalis, sed ipse ab aliis etiam Monachis nullum omnino quantumvis minimum, rerum etiam comestibiliū munusculum recipere ullatenus voluit. Humilitas verò adeo illi cordi fuit, ut caput & si infirmus ante Superiorem quemlibet tegere, aut sedere, nisi haud semel eorumdē nutu, ac voce compulsus numquam sit passus; Licet jam senex, & affectæ valetudinis neminem, vel ex Fratribus Commissis, vel ex Monasterii famulis cellæ suæ verrere sordes, ad eam aquam deferre, aut quacumque alia in re sibi inservire permisit, quin potius ipse aliis libentissimè ministrabat; cum tamen cuiusvis Personæ errorem, aut defectum aliquem majori, qua poterat charitate, ac dulcedine admonere, & redarguere non omitteret.

*Excusit manus suas ab omni munere
Isaiæ 33. 6.*

13.

IV. Aliquot ante obitum annis, præsertim prostremo, dysuriæ dolores acerrimos eximiâ patientiâ pertulit, & cum nihilominus nullam de consuetis observantiis vellet intermittere, coactus fuit Abbas etiam Medicis suadentibus, e. sum carnium, super tomentum dormitiones (nam antea super saccum sola paleâ infartum cubabat) à nocturno officio cessationem, ad infirmorum domum recessum, ceterasque ægrotis adhiberi solitas curationes ei districte præcipere: Paruit quidem non minus obediens, quam humilis Thomas, sed tamen quoties poterat horis diurnis Choro interesse, Sacrum facere, omnium Confessiones audire minimè desistebat Infirmitas, ne inservientibus, ipsisque Medicis oneri, ac molestiæ esset, summopere curabat, qua de causa aquæ intercutis morbum, qui ei supervenit, nemini indicavit, sed tacitus tulit. Tot igitur incommodis, & voluntariâ carnis maceratione confectus, ad vitæ finem accessit, sùptisque magna veræ pietatis significatiōe omnibus Ecclesiæ Sacramētis, sësibus omnino integris, animam, velut aurum in fornace diutinæ patientiæ probatum, placidissimè Deo transmisit an: 1719. 15. Aug. Assumptæ V. cui se totum deoverat, sacro, omnium, qui eum noverunt, domi, forisque mærore, gaudio nihilominus mixto ob adauctam ex tam felici exitu, ejus Sanctitati opinionem. Corpus expletâ parentatione peculiari arcâ inscriptione insignitâ inclusum in Ecclesia S. Annæ tumulatum fuit.

Ex relat. Cl. V. D. Erasmi Gattola die 26. Jan. 5733. ad me conscriptâ; & ex Elogio ejusdem adhuc viventis exarato à D. Cornelio Ceraso, & inter Elogia aliorum Casinensium sui temporis in Tabula. Casin. asservato, ubi inter cetera, *Magni nominis Viris procul dubio comparandus, regularis observantiae studiofissimus, prudentiâ, devotione, ac speciali charitate præditus, solitudinis, ac cellæ amantisssimus dicitur &c.*

Z

I.



Senec.

Timenti
Domini
bene-
erit in extre-
mis.

Deo in no-
stra Biblioth.
Lit.C.

Et gaudebit
cor vestrum.
Dedisti leti-
tiam in corde
meo.
Nec oculus

ACHARIAS nobili, ac per antiquâ familia Capograssi, Salerni ortus, in sacro Cavensi Cœnobio Monasticam Regulam observandam suscepit anno 1619 die 25. Julii, quam invariata ratione, quoâd inter mortales superstes fuit, diligentissimè custodivit. Sanctorum namque ejusdem suæ Patriæ Civium & prioribus sœculis ejusdem Monasterii Cavensis Incolarum, Alpherii, Petri, Leonis, Constabilis strenuus æmulator, eorum virtutes ad vivum imitabatur. Silentii, & Solitudinis amantissimus, tempus omne ita disponebat, ut majorem, potioremque ejus partem orationi, reliquum verò utiliorum disciplinarum studiis, Philosophiaæ videlicet, ac Theologiae tum Scholasticæ, tum Moralis die, noctuque tribueret, quæ sanè *pretiosa est temporis avaritia*.

II. Cum ergo Sapientiæ suæ fundamentum supra timorem Domini constituerit, bonum proinde Intellectum ad abstrusiora quæque scientiarum subtiliter investiganda, & feliciter assequenda, sortitus est. Ad hæc quotidianum jejunium adhibebat, paupertatem vero, & vitæ auferitatem, indivisas veluti comites, & omniū horarū socias habere voluit. Sed in primis erga Deū, & proximū charitatem virtutum omnium principem, veneratus est, pro quâ etiam exercendâ mortis periculo sese exponere minimè dubitavit. Cum enim ægroto, pestifero apostemate laboranti, perpetuò adesset, eique omnia humanitatis officia, tam ad corporis medelam, quam ad animæ salutem sedulò ministraret, lethalem inde morbum contraxit, suumque obitum diebus octo ante prædictis, veniam à singulis Monachis, ad cœlestem Patriam iturus, perspicuè postulans, ad quam, ut piè sperandum est, rectâ migravit an. 1633. juvenis quidem, sed qui *consumatus in brevi jam explaverat tempora multa*.

Ex nostris Regestis pag. 193, ubi in margine dicitur, *Vir magnæ Sanctitatis*: & ex narratione D. Camilli Capuani Zachariæ Synchroni in Cavensi Tabulario asservatâ, teste D. Marino Albritio ejusdem Tabularii Præfecto, & nostræ Congregationis Decano.

I. ZACHARIAS CUCURBICI, natione Siculus, in Oppido Sciacca natalem habuit, & in Monasterio S. Martini de Scalibus extra Panormum mysticam Aram, ubi in ipso juventutis flore semetipsum hostiam viventem, monasticis votis, Deo immolavit, mortuus sœculo, mortuus illecebris, mortuus sibi; nam solitudinis egregius cultor, anachoreticam potius quam claustralem vitam, longè ab hominum consortio remotam ad obitum usque perduxit in Eremo ejusdem Monasterii, Olivetum Saganae dictâ, D. Ioanni Baptistæ dicatâ; eò magis sibi, Deoque proximus, quo à caducarum rerum imaginibus factus alienus. Asperrimæ poenitentiæ minister severissimus, corpus suum assiduis jejunis, vigiliis, aliquisque afflictionibus piâ crudelitate cruciabat. Cibum herbarum radices, aut si quando deliciis utendum esset, cruda olera suppeditabant, sitim aqua extinguebat.

II. Sed hanc corporalis escæ parcitatem cœlestium consolationum affluentia, opiparæ veluti dapes abundè compensabant, imò infinito propemodum intervallo superabant; Hinc frequentes supernorum spirituum apparitiones, hinc ætherei luminis rutilantes in mente radii, hinc ex divini amoris fonte exuberantia in corde jubila, terrenis quibusvis nullatenus comparanda; ex quâ etiam suavissimâ scatebrâ, dulcissimi veluti rivuli, uberes compunctionis lacrimæ, identidem erumpabant. Et ut omnibus ejus Sanctitatem supremus veritatis Iudex testamat faceret, miraculorum quoque prærogativâ illum ornavit. Sensit in primis virtutis hanc efficaciam germanus ejus Frater Barnabas, ejusdem

dem Monasterii Sodalis, ejusdemque solitariæ vita perpetuus comes, a mentis alienatione ejus operâ liberatus, ex quo ad perfectionis culmen bonus Fratris æmulator magnis gressibus contendit. At Zacharias senio tandem confectus, & meritis consumatus, perenniter Deo fruiturus ad eum migravit anno 1626. ætatis suæ 85.

Ex Felice Egger Monacho Petrhusiano Idea Ord. Herarch. Bened. libel. 2. p. 3. Differt. 3. pag. 423, & seq. Et ex Vita Ven. Servi Dei Hieronymi Arminii scripta à Petro Antonio Tornamira impress. Panormi 1614. Cap. XI. pag. 35, ubi inter cetera, Monachum Vitæ sanctissimæ, & admirabilis patientiæ Zachariam vocat, asseritque ab eo, & ejus Fratre Barnaba, Hieronymum Arminium, admodum honoratum, commendatum, & pro Sancto habitum, & celebratum fuisse.

I. ZACHARIAS à FRACTIS Capaniæ Felici Oppido, nobili familiâ PETRONIA prodijt, Christophoro Petronio, & Martia de Tutiis, insignis virtutis feminâ, anno 1578. die 13. Decembris è sacro fonte Damasus nuncupatus. Hic ab ineunte ætate adeò modestiæ, pietati, solitudini deditus fuit, ut vel ex eo tempore haud leve Sanctitatis præfagium, vel potius initium facile in eo omnes agnoscerent. Nam adhuc Puer Dei, & Proximi amore fervens, quoties ex gymnasio domum rediret, non aliò, quam ad publicum Nosocomium divertens, infirmos quosque blandis verbis mirum in modum solabatur, cibisque à Parentibus pro jentaculo tributis, indigentes, ut plurimum, recreabat, quod sane fraternæ charitatis officium præclariùs adhuc tunc potissimum exhibuit, cum grassante in ea regione dirâ fame, sèpissimè ipse impransus manebat, ut subtrahât sibi alimoniam aliorum necessitatibus subveniret. Hæc in pueritia.

CAP. II. Adolescentia.

II. At in adolescentiâ, obfirmato ad Religionem animo, ut pericula omnia Innocentiæ vel leviter labefactandæ mature declinaret, ad Casinense Archisteriū tamquā tutissimum Sanctitatis Asylū convolauit, ibique à Basilio Brixiano Casinensi Abbatे sanctimoniarum opinione celebri, in Monachorum cœtum admissus fuit anno 1597. die 29. Martii. Toto Tyrocinii tempore in omni virtutum genere, obedientiâ præsertim, devotione, silentio, patientiâ, sui ipsius contemptu, orationis quoque instantiâ, sanctæ denique Regulæ absolutissimâ observatione sodales longè superans, giganteis passibus ad currendari perfectionis viam exultare visus est; quæ causa fuit, ut ipse met eorum Magister Gregorius Genuensis, Vir admodum pius, ac religiosus, perfecti adeò discipuli admiratione permotus, illum veluti egregium Monasticæ Vitæ exemplar ceteris ad imitandum proponeret. Ejus vultum cœlesti lumine radiantem, Romanæ Curiæ Prælatus à Summo Pontifice Casinum missus, ut Monachorum mores, & regularem observantiam perscrutaretur, dum sibi in templo celebranti Zacharias adhuc Tyro reverenter admodum inserviret, admirans conspexit.

CAP. III. Munia adimpta.

III. Cum itaque cunctis satis jam exploratum esset, Zachariam in Regularium institutionum agro altas, stabilesque radices fixisse, è Tyrocinio educatum, non adeò multo post, vix Diaconatus gradu insignitum, rei oeconomicæ, intra Cœnobium, Abbas præfecit, quo in munere Monachorum commodis, ac utilitatibus per ampleri parandis summâ industriâ, ac diligentia insudavit; Pauperum verò, ac Peregrinorum, qui semper quidem magno numero, sed eo præsertim anno 1600, qui Jubilæus fuit, multo majori frequentiâ Casinum adventarunt, necessitatibus, ac lassitudini, incredibili charitate subvenit; Nec idcirco, quia eo anno longe majori copia panes ab eo in pauperes sunt distributi, farinæ insumptæ mensura aliorum annorum mensuram ullatenus excessit,

vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascedit, quæ præparavit &c.

(De eo sup. L.H.)

CAP. I.
Pueritia.

Celleraria di Casa.

Supra 70 milia fuisse per-

Zit, quâ in re iterata quodammodo videntur antiqua illa mirabilia. Reg. 3.17.
 16. *Hydria farinæ non defecit & Math: 15.16. Lucæ 9.17. Marci 6.42. Ioan.6.*
 12. *Satiavit Dominus quinque millia hominum de quinque panibus, & duobus*
piscibus: ac denique illud Gregorii M. Dial. l.2. c. 21. quod olim in eodem Ca-
fino SS. Benedicti meritis evenit; ducenti farinæ modii, ante fines Ecclesiæ
in fiscis inventi sunt; quod animadvertisens Abbas, ut ferventi Zachariæ erga
proximum amori latius adhuc pabulum præberet, officio rei familiaris illum
absolvens, Xenodochii, ac Valetudinarii provincias ei demandavit. Tum ve-
ro reliquæ etiam Zachariæ Virtutes, Humilitas, Mansuetudo, Zelus anima-
rum, alienæ salutis studium, laboris, ac graveolentia pro Deo tolerantia, in
omnibus vigilans cura magis, magisque patefactæ sunt. Nam Peregrinorum
quorumlibet pedibus advolutus, suis ipse manibus eosdem abluere, pressis
etiam osculis abstergere, cibos illis ministrare, mensæ inservire, ad lectum
deducere in deliciis habuit; multoque magis eorum animis reficiendis inten-
tus, ad preces Deo fundendas eos invitare, cum illis flexis genibus orare, mo-
nita denique salutis illis præbere, atque ita epulis tum corporeis, tum spiri-
talibus recreatos, lætos, melioresque dimittere. Infirmis verò perpetuò ades-
se, eorum cubilibus assidere, alimenta in os immittere, abjectiora quæque mu-
nia illorum gratiâ subire, mærentibus sacris colloquiis solamen impertiri, gra-
viori morbo detentos ad æternitatis viam Christianè ineundam sanctissimis
verbis componere, ita demum in eo charitatis officio se gerere, ut SS. ipsu
Patriarcam Benedictum sub peregrini Sacerdotis specie venerandâ canicie
senis aliquandò suscipere meruerit, eique ad pedes, ad mensam, ad lectum
famulari, qui tamen à Zacharia, ejus aspectus pulchritudine, ac eloquii sua-
vitate capto, (licet quis nam esset tunc ignoraret) summo mane requisitus,
nusquam comparuit.

CAP. IV. *Tyronum Magisterium.*

IV. Sed eò jam Zachariæ virtus processerat, ut aliis in Religione instituendis,
 & ad omnem pietatem informandis præponi posset. Itaque Comitorum Generalium Mantuæ celebratorum decreto, Decanus renunciatus, triennio post
 ibidem Tyronum Casinensis Asceterii Magister fuit constitutus; quâ verò eos
 solicitudine Sanctæ Regulæ præceptis imbuerit, quâ diligentia, ac coelestis
 Sapientia vi mentali orationi insistere, sensum mortificationi incumbere,
 veterem hominem exuere cum actibus suis, & novum induere, qui secundum
 Deum creatus est; terrena despicere, divina tantum inquirere, denique *mer-*
carri æternam de re persunte salutem, verbo, & exemplo docuerit, paucis expli-
 cari non potest. Hoc solum dixero, ex Magistri virtute discipulorum profectum,
 adeoque regularis disciplinæ robur, vigoremque pendere, nam ut Poeta ce-
 cinit, *Quo semel imbuta recens servabit odorem, testa diu: & longe melius Sa-*
piens Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea; sum-
 mā idcirco ope Religionum Prælatis nitendum est, ut non quoscumque, &
 obvios quoslibet, sed optimos, & Dei Spiritu plenos Tyronum Magistros se-
 ligant, qui juventutem in viam Domini sapienter dirigant, priùs tamen à se
 ipsis tum doctrinâ, tum exemplo demonstratam, siquidem Religionem stare
 volunt, cum primus discendi ardor nobilitas sit Magistri.

CAP. V. *Prior.*

V. Sed Tyrocinii septa Zachariæ Virtuti angusti limites erant. Extraxerunt
 eum illinc supremi Congregationis Patres, & Priorem creatum, invitum
 quamvis, & quad licuit renuentem, Aretino Coenobio eo in munere præesse
 jusserunt. Eluxit tunc quidem clarius supra candelabrum posita Zachariæ
 Sanctitas, purioresque radios circumquaque diffudit. Tunc enim regularis
 disci-

S. Eucher.
Lugd.

Horat.

S. Ambr. de
Off.

disciplinæ zelum discretioni, & charitati conjunctum, affabilitatem gravitati admixtam, severitatem humanitati copulatam, ceterasque virtutes, quæ erga subditos Superioribus Ecclesiasticis usui esse debent, magis, magisque ostendit; erga verò se ipsum non intermissum lectionis, orationisque studium, otii fugam, & ad quælibet spiritualia exercitia omnium primū accessum intensius, ac ferventius vigere, imò sensim augeri omnibus patuit. At Zacharias, quò sublimius ejus Sanctitas sese attollebat, eò profundiùs se deprimens, & ad pristinam Casini, dilectamque solitudinem, ac privatam vitam suspirans, humillimus, enixisque precibus absolvi se Prioratu postulavit. Itaque quamvis non illicò, sed tantum biennio post, ipso tunc quidem inscio, voti compos effectus, Abbatis nihilominus titulo decoratus, lètissimè Casinum remeavit.

*Abdicat.*CAP. VI. *Eius singulares Virtutes.*

VI. Ibiergo Zacharias ab omni aliarū rerum curâ, & solicitudine omnino liber, præterquam Deo impensiū inserviendi, proprioque in spirituali palestrâ profectui unicè vacandi, eminentiores virtutes heroicis actibus jugiter exprimebat; Paupertatem in primis, quæ D. Ambrosio teste, *Ordine prima est, & parent quædam, generatioque virtutum, tam arctè amplexatus est, ut non contentus, dum juvenis rem Cœnobii administraret, nihil prorsus ex communi penu,* præter id, quod omnibus indiscriminatim tribuebatur, in propriū ūquā usum, & commodū derivare, Abbatis etiā titulo insignitus, in eodem paupertatis tenore constanter perstare voluit, pretiosi quidquā intra cellulā, tū in parietibus contegendis, tum in lectulo sternendo, tum denique in alia quacumque supellectili, & vestibus parandis numquam admittens; *sufficiebat enim illi paupertas sua, ut divitiæ computarentur, ut Tobiae Matri; quo nimirum exemplo, preter antiquiora SS. Patrum, animadvertere Monachi omnes deberent, quantum ipsos dedebeat, post Deo promissam, ac voto juratam rerum omnium abdicationem, terrenis divitiis tam avidè inhiare, eas undique conquerire, tenaciter adeò custodire, & ut D. Hjeronymus olim detestabatur, plenis sacculis mori, qui quasi pauperes vixerunt;* quapropter Zacharias religiosam paupertatem non solum ipse rigidè custodivit, sed ut etiam reliqui Monachi eam ritè servarent, efficacibus quoque verbis identidem hortabatur. Castitatem verò, *sine qua nullum opus bonum est aliquid,* studiosissimè coluit, & totâ vitâ illibatam fervavit, usus ad id tamquam validioribus mediis, indefessis laboribus, prolixis vigiliis, frequentibus jejuniiis, alijsque id genus carnis afflictionibus, probè intelligens, lilyum hoc, ne putrescat, inter spinas custodiendum, ut olim SS. noster Legislator egregiè prestitit; modestiâ quoque oculorum exigimâ, mulieres quascumque non solum minimè alloquendo, sed ne aspiciendo quidem, at defixis in terrâ obtutibus semper incedendo, in primis verò assidue orationis presidio, illud Sapientis secum animo reputans, *Nemo potest esse continens, nisi Deus det.* Obedientiam demum ita magnificiebat, ut eam reliquis virtutibus longè anteferendam censeret, ipsamque orationem, aliqua spiritualia exercitia ad obedientię nutum intermittenda, imò aliquando etiam relinquenda identidem dictitaret; Tyronibus suis, dum illorum esset Magister, hoc jugiter inculcans, *Melior est obedientia, quam victimæ Reg. I. cap. 25. ver. 21.*

*Tob. c. 5. 25.**S. Greg. M.
hom. 13. in
Evang.*CAP. VII. *Aliæ ejus Virtutes.*

VII. Porrò has virtutes aliarum quoque ornatus comitabatur. Humilitas nimis, & sui ipsius voluntariū contemptus, quo grandeuus licet, & Abbatis titulo conspicuus, Cœnobii fordes unâ cum aliis quibuslibet verrere, & abjectiora quæque munia quam libentissimè obire consuevit. Abstinentia deinde ab escis arctissima, quâ fere numquam carnes comedit, Adventus verò Dominici,

*Humili-
tas.*

Z

Abstinen-
tia.

Pœnitentia.

S. Greg. M.
hom. in Ev.Serm. 47. de
Sandis.Matth. cap.
19. d. 5.

minici, & Quadragesimæ temporibus modico panis fragmento, & leguminibus tantum famem sedavit; quod ipsum in pœnitenziis celebriorum solemnitatium Domini, ac Deiparæ, aliorumque Sanctorum inviolatè servavit, semel dumtaxat in die, parcissimum licet, pomeridianum cibum sumens, nec se rotinæ refectiunculæ jā communi consuetudine receptæ, beneficium umquam admittens. Ceterum corpori multifariam excruciantiæ solicitè intentus, sæpe durâ cubabat humo, sæpe noctes ducebat insomnes, divinis laudibus, & contemplationibus vacans, nodosis funibus, alijsque flagris in se ipsum desæviens, brevissimum denum pro naturæ necessitate, vestitus tamen ad præscriptum Regulæ, laneaque interula (quam numquam dimisit) indutus, somnum capiens.

CAP. VIII. *Idem Argumentum.*

VIII. Silentii, ac solitudinis amor præcipuus, quo impellente creaturarum omnium consortia, & colloquia sedulò vitabat, ut Creatoris solummodo in oratione, & precibus consuetudine frueretur. Nullus idcirco illi cum hominibus nisi de Deo, ac rebus divinis sermo, qui quoties ab eo haberetur, tantâ vi, & efficaciâ præditus erat, tum ob interni spiritus fervorem, tum ob externam, quam præferebat, sanctitatem, morumque compositionem verbis conjunctam, ut audientes ad vitæ emendationem, & cœlestis Patriæ desiderium summopere inflammarentur. Patientia in rebus adversis planè admirabilis, non solum illatas injurias æquanimiter tolerando, sed quod longè majus est, offensores etiam ipsos beneficiis insignibus afficiendo, Salvatoris præceptum, & exemplum sequutus, *diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos.* Cum enim ejus Frater Germanus Marcus Antonius, & alterius fratris sui filius Christophorus à quibusdam conterraneis per summum scelus neci traditi essent, Zacharias Intersectoribus libentissimè illicò ignovit, imò nihil non egit, ut & ipsi lethaliter vulnerati, antequam spiritum exhalarent, & eorum Parentes, Consanguinei, & Propinqui ijsdem inimicis pacis osculū, & amicitiæ tessera, ut optimum Christianum decet, præberent. Nec hoc satis existimans, uni etiam ex percussoribus carceribus detento, & capitali sententiâ jam damnato, à Neapolitano Prorege Medinæ Principe, demississimis precibus vitam, & libertatem impetravit; Quæ sanè tam præcellentis Charitatis officia ex purissimo illo divini Amoris fonte promanabant, quo qui feliciter inebriatur, & *Amicum diligit in Deo, & Inimicum diligit propter Deum.* Jam verò erga Deiparam, divosque Tutelares pietas, ac religio præcipua, quâ eos & lectissimis laudibus efferebat, & enixis precationibus exorabat, & eorum vitam moribus SS̄mis exprimere satagebat, juxta aureum D. Augustini monitum, *imitari non pigeat, quos celebrare deleat.* Orationis denique, & Contemplationis studium excellens, in qua cum spiritus fervor vehementissimè illum raperet in Deum, cique intimè uniret, Corpus etiam secum trahens, & à terra omnino elevans, in aere sublime haud semel, nec parvo tempore sustentabat; quo in actu ab ijs, qui ad eum quacunque ex causa adveniebant, sæpe deprehensus, non modicam admirationem, simulque venerationem eis afferebat.

CAP. IX. *Gratiæ à Deo illi concessæ.*

Ita namque misericors Deus cum his, qui ei familiariùs adhèrent, agere consuevit, ut qui se pro ejus amore graviùs affligunt, terrenisque deliciis abdicant, cœlestibus consolationibus, gratiis, & favoribus identidem recreentur, & foventur, abscondens hæc à Sapientibus, & prudentibus, & revelans ea parvulis. Expertus est hoc idem noster Zacharias vel cum anno 1627. dum SS̄mi Patriarchæ Benedicti, & Sororis ejus Scholasticæ sacratissimæ exuvia sub Arâ maximâ Casinatis Basilicæ augustiùs collocarentur, plaudentis Celi Angelicam Symphō-

Sympphoniam, unâ cū Fr. Gregorio viro innocentissimo audire meruit; vel dum ejusdem Gregorii animam in eodem Casinensi Coenobio corporis resolutam compage, itemque Martini Orilia amantissimi olim sui ss̄m̄e vita functi, in Cēlum ascendere conspexit; vel dum cordium arcana clarissimè cognoscit, vel denique dum propheticō afflatus spiritu absentia intuetur, pluraque multo post eventura prænunciat. Nec ea tantum à Deo Zachariæ concessa, alijs quoque mortalibus ejus meritis, precibusque, beneficia quam plurima tributa referuntur; In ijs cæci duo oculorum usui restituti, alius molestissimā pedum paralyſi vexatus, alius sanguinis fluxu ad extrema deductus, nobilis fœmina sterilitatis opprobrio laborans, aliquæ variis morborum generibus afficti liberati memorantur; Quamvis humilis Dei servus non quidem suis, sed SS̄m̄i Patriarchæ meritis, ad cujus sepulchrum infirmos quosque supplices sisti jubebat, mirabilia hæc omnia referebat accepta, dicens cum Psalmographo; *Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam.*

Z

*De quo supra
lit. G.**De quo pari-
ter sup. Lit. M*CAP. X. *Pretiosa ejus Mors.*

Sed tempus jam percipiendi immarcescibilem Gloriæ Coronam Zachariæ advenierat, cum bonum adeò certamen certasset, cursum consumasset, fidem servasset. Itaque anno 1645. mense Novembri, gravi morbo correptus, acerbissimus, ac intimis doloribus patientissimè toleratis, quadraginta ante obitum dies immobilis, ac resupinus (manibus ante pectus in Crucis similitudinem compositis) in lectulo consistere coactus, *tamquam argentum igne examinatum, imò tamquam aurum in fornace probatum cunctis apparuit.* Demum SS̄m̄is Ecclesiæ Sacramentis devotissimè susceptis, cum ab omnibus veniam humiliter postulasset, oculis in Crucifixi imaginem constanter defixis, inter ignitas jaculatorias preces in manus Domini placidissimè spiritum reddidit die 16. Decembris, ætatis suæ anno 67. die Sabbati; Corpus, ut moris est, publicè expositum, magnâ hominum cuiusque generis frequentiâ per triduum honoratum fuit, alijs ejusdem corporis extremitates, ut puta ungues, & capillos, alijs coronæ orariæ globulos, vestiumque particulas, tamquam Viri Sanctitate conspicui sacras reliquias, secum auferentibus, quod deinde in Cœmeterio S. Annæ repositum, ibidem promiscuè jacuit, donec anno 1677. die 18. Aprilis Severinus Pepi Casini Abbas ejus olim discipulus magnâ diligentia conquisitum, & urnâ cypressinâ inclusū in Australi parte juxta Aram ejusdem S. Annæ, loco decentiori collocandum curavit.

CAP. XI. *Miracula.*

Post obitum plura, quæ subsecuta sunt miracula, ejus sanctitatem magis, magisque commendarunt; Nam Mulier à Dœmone obsessa, cum ejus capiti pileolum Zachariæ nuper defuncti suppositus fuisse, statim à nefario spiritu, post magnam concussionem, liberata est. Nobilis quoque fœmina Boteri Princeps Casinum adveniens, Zachariæ viventis preces, ut oculorum lumen, cuius jam diu expers fuerat, recipere mereretur, enixè quidem, sed frustra imploraverat (verebatur enim vir Sanctus, ne si illi beneficium hoc à Deo impetraret, ejus rei fama infirmorum multitudinem sanitatem postulantum Casinum atraheret). Sed eadem, quâ in Cœlum concerdit nocte, cœlesti ei luce circumfusus apparuit, jubens, ut statim surgens pro recepto oculorum lumine humillimas Deo gratias referret (promiserat enim illi Casini Vir Dei, tunc oculos ei aperiendos, cum suos ipse clauderet) quod effatum eo quidem tempore pro joco acceptum, propheticè tamen dictum fuisse exitus comprobavit: Plurimi etiâ alii ægroti, tam Casini quâ Neapoli, alibiisque Reliquiarum ejus attactu, à variis morborum generibus liberati, quanti apud Deum Zacharias in Cœlis sit meriti satis, superque declarant.

Ejus

*Psal. 11.
Sap. 10.*

Z

Chrza-
nouski. Ejus Vitam Casimirus Chranovius Polonus Monachus, qui Casini aliquandiū vixit, Latinis literis consignavit, impressam Neapoli anno 1677. apud Antonium Gramignanum in 4. pagg. 144. (non sine tamen pluribus Typographi mendis) ex qua Nos, quæ supra narravimus, potissimum desumpsimus . Agunt quoque de eo M. Antonius Scipio in Elogiis Abbatū Casinensium p. edit. Neapoli per Octavium Beltramum an. 1630. in Simplicio Caffarello Abate; Cornelius Ceraso in Elogiis MSS. Monachorum Casinensium sui ævi in Tabulario Casinensi asservatis; Gabriel Bucelinus in Bened. Rediu. ad an. 1645., E Vita „ migravit Zacharias Petronius Aretini in Etruria Cenobii Abbas propheticō „ spiritu clarus, cujus post obitum genua callis exuberantibus conserta inventa „ sunt „ Ita ille; sed Zacharias fuit tantum Prior, non Abbas Monasterii Are- tini , quo Prioratu dimisso creatus fuit Abbas Titularis, ut sup. diximus cap. 5. & ut habetur in nostris Regestis pag. 200. Abbas Titularis ex Priore regiminis, Vir miraculis clarus . Denique Felix Egger Idea Ord. Hierarch. Bened. Li- bell. 2. par. 3. dissert. 3. num. 3. pag. 409. & seqq.

Conclusio totius Operis.

In Bibl. & in Catalogis. Jamque opus absoluī, quod Deo propitio venerabilis Zachariæ , aliorumque ex nostro cætu doctrinam, & Sanctimoniam perpetuò resonabit. Mihi siquidem, pro tot exantlati in eisdem colligendis, describendisque totâ fere vitâ labo- ribus , hoc unum in votis manet , ut quos pari conversatione pro mea imbe- cillitate assequi haudquaquam possum , eos saltē à longè sequens , studeani pro virili aliquatenus imitari , quò tandem eorum intercessione reatum meo, rūm apud Altissimum obtentâ veniā , quos mente , & calamo præsentes habui in terris, eosdem (veluti tamen famulus Dominos, & Cliens Patronos) consortes habere possim in Cœlis . Fiat . Fiat . Assisi in Monasterio S. Petri die 19. Decembris 1731. ætatis meæ anno LXXI. orate pro me maximo Peccatore .

ADDITIONES.

De eo in Bibl. L. V. Rocchus Pyrrhus in Sicilia Sacr. secundæ editionis, cui plures notitiae addidit

Vitus de Amico Monachus noster , aliquot memorat recentiores Congrega- tionis nostræ , & Siculæ Provinciæ Monachos Sanctitatis fama celebres , quos

ipsis eorū verbis hic recēsēdos duximus , alphabeti ordine hic quoque servato.

De Cesare in Bibl. L. C. ALPHONSUS GOTHO , & Spatafora Cæsaris Frater , inter præclaros viros , quos S. Placidi Cenobium aluit accensendus venit , qui electus anno circiter 1644. Abbas SS. Salvatoris , & Cyrini , ac deinde S. Mariæ de Ragusio , tan- dem Venetiis Abbatiâ ultrò se abdiçans , magnâ opinione Sanctitatis morta- litatem exuit ann. 1690. Vitus de Amico in supplément notitiae S. Placidi de Messana pag. 1149.

*Ætatis incer-
ta, & ante-
ne, vel post
Congr. Cas.
dubium.* ANTONIUS POLICIUS Messan. semper morbo podagræ in manibus , & pe- dibus afflictatus , magnum patientiæ , humilitatis , & charitatis exemplum , maxime in sedandis offensorum animis , ac agrotantium , & indigentium af- flictionibus præbuit semper , pari candore vitæ , & vixit , & decepsit . Rocch. Pyr: tom. 2. in not. ejusdem S. Placidi de Messana pag. 1146.

*Vel Bartholo-
mæus à Pater-
nione, vel an-
tiquior Chro-* AUGUSTINUS A' PLATEA . Hic Legum Doctor , compunctionis ardore sacerdotum reliquit , & religionis habitum in nostro Cenobio sub Casinæ: Con- greg. devotus assumpsit . Iejuniiis , vigiliis , orationibus , & scripturarum studio ita intentus , & bonis operibus adeò addictus fuit , ut illum non absu- milem antiquis Patribus nostris Chronista dixerit . Cellulam perangustam non lon-

Chiazza .*Vel Bartholo-
mæus à Pater-
nione, vel an-
tiquior Chro-*

nō longe à Monast erio inter Æthnēos lapides sibi construēns, ibi interdiū vacans cœlestium contemplationi se totum dabat. Sanctioris Vitæ desiderio, de terra, & Cognitione sua exiens, superiorum indultu ad Monasterium S. M. della Croma Dalmatiæ regionis, nostræ Congreg. annexum contendit. Ibi cum undique gentibus ob præclara signa, & miracula, quæ per ipsū Deus operabatur, innotuisset, humanæ gloriæ impatiens, ad sacrum Casinense Cænobium propero cursu se contulit, ibique meritorum manipulis locuples sanctorum fine quievit, anno circiter 1579. Ita Vitus M. de Amico eodem tom. 2. in notitia S. Nicolai de Arenis, pag. 1182.

Z

*nista . cuius
namen igno-
ratur . qui
Chronicon S.
Nicolai de
Arenis scri-
perunt.*

BERNARDUS à Messana eximiæ perfectionis, atque innocentia, cuius demortui vestes, ut populi devotioni fieret satis, ter immutatae sunt; certatim enim illas exambentes, variis morbis magna fiducia expellendis aptabant. Decessit pene quinquagenarius die 19. Nov. 1684. Idem ibid. in not. S. Placidi Mefs. pag. 1149.

FR. HONORIUS à Pozolo Oblatus columbinæ vitæ, & eximiæ charitatis, & devotionis, præsertim in B. Virginem, in cuius, & Iesu nomine cuncta gererat. In occasu occubuit, & ad sonum Campanæ salutationis Angelicæ ad Angelos in Coelum volavit. Rocchus Pyrrhus tom. 2. Sic. Sacr. in Not. S. Placidi de Messana pag. 1149.

Marius.

MAURUS ROSALINI à Panormo proiectæ jam ætatis, ac Sacerdotio initiatus, ad Professionem ob vitæ, ac morum innocentiam admissus in Monasterio ann. 1699. novis quasi stimulis actus ad perfectionis apicem contendit: Mentalis orationis studiosissimus, cui per plures horas quotidie incumbebat, Obedientiæ, Paupertatis, ac Puritatis cultor præcipuus, in amore erga Deum, in salute aliorum procuranda assiduus, suimet contemptor, aliis vel minimis obsequentissimus, omnibus denique virtutibus cumulatus, Tyronum institutioni Præfectus, mox infirmæ valetudinis causâ in Oppido Burgetti, Majoris officio perfunctus, ibidem latus, ac tranquillus, inter Monachorum preces, ac lacrymas migravit è vita die 31. Xbris 1723. sepultus in S. Martino decenti loco; mortis sibi concium suisse pie credunt ex ejus discipulis nonnulli; sapienter enim eodem anno, quo è vita migravit, iisdem repetebat, magnam de se mutationem eo anno eventuram esse; exitus dictum probavit, ultimo namque die anni mundum commutavit. Vitus de Amico insuppl. tom. 2. in notitiâ S. Martini de Scalî pag. 1097.

*S. Martini de
Scalis.*

FR. MATTHÆUS à Neapoli Oblatus eximiæ charitatis, non solum in Monasterio, sed totâ in Sicilia semper magnæ estimationis ob virtutum splendorem fuit. Quotidie Deum rogabat pro Hæreticorum, ac Infidelium conversione, officiosissimus in Patres pro fide propaganda ad Indias trajicentes. Obiit octogenarius magnâ Sanctitatis famâ. Rocch. Pyrr. Sic. Sacr. tom. 2. In notit. S. Placidi de Messana pag. 1149. , est incertæ etatis.

PLACIDUS à Messana ex nobili stirpe de Villadecani natus an. 1549. 29. Iulii ex infantia magnum virtutum specimen dedit. Hunc Deus majoris gloriæ suæ, & Benedictini Ordinis profectui hoc documento reservavit. Cum è nubiloso Coelo ardens cecidisset fulmen, & cubiculum illius combusisset, puerum immunem, indemnemque reliquit; jam adolescens huic Sanctæ Religioni adscribi voluit, ubi tantum in spiritualibus exercitamentis orationum, jejuniorum, cilicii, sui ipsius mortificationis, ac perpetui silentii profecit, ut eodem die, quo professionem emisit regularem, scilicet mense Decembri anno 1575. adhuc subdiaconus ætat. ann. 26 ad Coelum evolaverit, immortale suæ Sanctitatis nomen cum S. Placidi M. nomine quo modo comparatam relinquens. Idem ibidem

Q

Ita,

Z Ita, totidemque verbis Rocchus Pyrrhus, & Vitus de Amico, quorum omnium apud eosdem fides esto.

Hos è Roccho Pyrrho, & Vito de Amico: Sed ex Benedicto Laudati in Brevi Chrō: S. Severini MSS. duos alios habemus regulari virtute præstantes, nempe.

ALPONSUM de Rosellis à Rubis in Apulia, qui institutum nostrum amplexus est Neapoli apud S. Severinum an. 1609. Hic Monasticæ vitæ fuit verum exemplar, nam assidua ejus mansio, vel in Choro, vel in Ecclesia, vel in Cella; rerum verò Cœlestium meditatio perpetuum studium, & exercitium. Nec satis ei erat incruentam Hostiam quotidiè Omnipotenti Deo devotissimè offerre, nisi etiam aliorum Sacerdotum quotquot poterat Sacrificiis interesset. Integrum Psalterium Dominicum, & Marianum singulis diebus recitabat, tantâ vultus modestiâ, tantâque totius Corporis gravitate incedebat, ut solus ejus conspectus efficax correxio junioribus, & pia adhortatio esset jam provocans; pro decanatus namque officio sibi collato, uti Sanctissimus noster Legislator jubet, inferiores quosque de erratis, ac defectibus constanti zelo, debitâque, ac necessariâ severitate arguebat; ceterum nunquam nisi æternæ salutis, & proximorum vilitatis causâ visus fuit iratus, tunc enim locum habet illud - *irascimini, & nolite peccare*; illudque - *vidi prævaricantes, & tabescbam &c.* Vestium formam ad Regulæ præscriptum, & vietus qualitatem nunquam mutavit, nec carnes, modò necessitas non urgeret unquam comedit. Tyronum magister constitutus, illos in Dei timore, & Regularis disciplinæ rigore enutrivit. Excelluit etiam rei æconomicæ cura, & industria, unde Cænobio ingens emolummentum; quamobrem ab Abbe in Villam, quæ *Pretiosa* dicitur, missus vindemiarum tempore, ut reddituum Monasterii indemnitati sua vigilantia, & fideli operâ prospiceret, ibidem repentina morte sublatus est ann. 1661., cumque ejus Sanctitatis fama apud omnes obtineret, in ejusdem Villa Pretiosa decenti, ac peculiari tumulo reconditus fuit; de eo igitur cum Sapiente dici meritò potest. *Justus quacunque morte præoccupatus fuerit in refrigerio erit*; & cum Psalmographo - *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus*. Alphonsum memorat Benedictus laudati in Brevi Chron S. Severini parte secunda pag. 349.

Cap. 4.

Psal. 48.

ARCHANGELUS FASANUS eandem cum præcedenti Arcangelo Patriam, idemque S. Severini Cænobium longo tamen post tempore obtinuit, ubi Monasticam professionem emisit ann. 1627., promissamque Regularis disciplinæ observantiam, intentissima curâ verbo, & exemplo nunquam intermisit. Tyronum Magisterio ferè ad tria lustra perfunctus, plurimæ dexteritatis, ac prudentiæ, quâ discipulus fortitè, ac suaviter D. Benedicti legibus instruebat, specimen dedit, qui optimæ institutionis ab eo acceptæ odorem diù servaverunt. Abbas deinde Titularis creatus, magis magisque ad Cænobiticæ vitæ perfectionem anhelavit. Nedum enim à secularium, sed etiam à consanguineorum consortio sedulo cavens, unicâ per annum vice, & aliquando singulis bienniis eos invisebat. At cum ad graviorem pervenisset ætatem, Anachoritas æmulaturus, in unam ex infirmorum cellis sese recepit, ibique reliquum vitæ cursum ad quindecim ferè annos solitarius exegit, raro cum aliis Monachis, sed tantum cum spirituali conscientiæ suæ arbitro conversatus. Horas, quas precationibus, Psalmodiis, aliisque piis exercitationibus semel sibi descriperat constanti methodo semper retinuit; tandem cum in extremam ægritudinem incidisset, paucis ante obitum momentis, corde impavidus, ac sereno vultu, vestes emortuales, quibus Monachorum cadaveræ contegi solent suis met manibus disponere voluit, hæc enim omnia jāndiū pecu-

peculiari diligentia parata apud se habebat, hacque animi fortitudine æternitatis formidandum omnibus iter, ipse lætus arripuit die 23. Martii an. 1683.
De eo Benedictus Laudati in Brevi Chronico S. Severini Parte 2. pag. 362.

IN CATALOGO VIRORUM SANCTITATE ILLUSTRIUM.
GRAVIORA.

ERRATA SIC CORRIGE.

In Fronte Libri
LDCCXXXIII. MDCCXXXIII.

Pag. 3. lin. 15. Patruosuo,
adde, Equiti Melitensi.

Pag. 9. lin. 2. adeptum

Pag. 13. lin. 8. 1651.

Ibidem lin. 9. 17.

Ibidem lin. 27. patrator

Ibidem lin. 33. an. 38.

Pag. 15. lin. 8. 1581.

Ibidem lin. 11. 1385.

Pag. 17. lin. 16. lastitanti

Ibidem lin. 17. popuo

IN SECUNDA APPROBATIONE CON-
TINUATIONIS CATALOGI.

Lin. 11. à tergo splendores

Pag. 3. lin. 40. 1633.

Pag. 7. lin. 31. Hieremias

Pag. 8. lin. 39. furo

Pag. 11. lin. 1. marginali. de
eo Catalogo

Pag. 13. lin. pen. tabularios

Pag. 14. lin. 3. p. 2. pag. 4.

Ibidem lin. 29. memini

Pag. 15. lin. ult. & seq. Ty-
rocinium posuisse Tyro-
cinium Venetiis.

Pag. 20. lin. 4. adsciatitii

Pag. 21. lin. 12. Commen-
darii

Pag. 22. lin. 11. Marginali
1915.

Pag. 28. lin. 5. strictio-

Pag. 32. lin. 15. 1673.

Pag. 33. lin. 1. pluries

Ibidem lin. 46. cord

Pag. 41. in marg. 1729.

Ibidem lin. 4. jam relatam
yidisset.

ERRATA SIC CORRIGE.

Pag. 44. lin. 13. Feria 6. Pa-
ralceves contingeret

Pag. 48. lin. 4. pluries

Ibidem lin. 6. imitando

Pag. 49. lin. 1. sus, deque

Pag. 50. lin. 25. Vesu

Ibidem lin. 26. Putris

Pag. 52. lin. 10. regulare

Pag. 54. lin. 4. debilitatem

Pag. 56. lin. 8. spiritalibus

Ibidem lin. 9. viis

Ibidem lin. 10. teræ

Ibidem lin. 20. Cap. VIII.

Pag. 58. lin. 8. quâ

Pag. 62. lin. 2. 16. Aprilis

Ibidem lin. 9. promissi licet
serus, fidelis tamen perso-
lutor.

Ibidem lin. 29. meum.

Pag. 67. lin. 15. anno 1528.

Ibidem lin. 21. Cap. X.

Pag. 68. lin. 19. Cap. XI.

Pag. 72. lin. 12. tugere

Pag. 74. lin. 30. percidiendam

Pag. 77. lin. 37. Filis

Ibidem lin. 38. ab unionem

cum nostrâ Congrega-
tione viam aperuit

Pag. 83. lin. 44. Gregorii

Pag. 85. lin. ult. annis qua-
draginta

Pag. 86. in margine 2685.

Pag. 87. lin. 12. Farnelli

Pag. 88. lin. 17. illuscente

Pag. 89. lin. 39. 5733.

Pag. 92. lin. 37. Quo semel
imbuta.

Pag. 98. lin. 5. Alponsum

Ibidem lin. 3. correxio

Ibidem lin. 17. vilitatis

Ibidem lin. 32. Archangelo

Ibidem lin. 37. discipulus

Alia si quæ supersunt, vel diligens corrigere, vel
benignus ignoscere, nam

Humanum est errare, mens quoque lubrica fallit

Sunt fragiles calamis, difficilesque Typi &c.

Corrigere sic ergo errores per opuscula Divum,

Sancta tot illorum qui monumenta legis.

ALIA

ERRATA SIC CORRIGE.

Ex epigram: Josephi M. Suarezii Indici eratorum in opusculis S. Nilii Abbatis Romæ Typis Barberinis an. 1673. ejus studio impressis ingenuè à se præfixo.

- Pag. 2. lin. 4. 10. Oꝑ.
Ibidem lin. 41. Ducatus
Pag. 4. lin. 38. an. 1717.
tom. 5.
Ibidem lin. 42. nobil
Pag. 5. lin. 48. 1551.

- Pag. 6. lin. 35. exempla
Pag. 9. lin. 45. creatus

- Pag. 10. lin. 11. 1705.
Pag. 11. lin. 12. Innocentio XII.
Ibidem in marg. die 8.
Ibidem lin. 21. 1530. die
8. Octob.
Pag. 12. lin. 44. sed paucula
hæc tantum.

- Pag. 14. in margine Pag. 15
Pag. 15. lin. 1. afferit
Pag. 17. lin. 43. in Cenobii
Pag. 18. lin. 10. 1717.
Ibidem lin. 41. incomparabilis
Pag. 19. lin. 9. lingua
Ibidem lin. 28. reddiderint
Pag. 20. lin. 2. à Clemente X.
Pag. 21. lin. 4. declatioñ
Ibidem lin. 9. die 21.

19. Oct.
Principatus
anno 1719.
tom. 4.
nobili
1547. nam
Paulus III. obiit an. 1549
exempla
publicatus,
nam creatus
fuerat anno
1726. die 9.
Decébris, &
reservatus
in pectore.
Sic etiam supra pag. 3.
lin. 4.
1505.
Innocentio XIII.
die 7.
1540. die 2.
Julii
Ego paucula
hæc tantum
verba.
Pag. 11.
afferitur
in Cœnobio
1720.
incomparabilis
linguæ.
reddiderunt
à Clemente IX.
declamatioñ
num
die 25.

ERRATA SIC CORRIGE.

Ibidem lin. 32. 1717. 1721.
Pag. 22. lin. 47. an. 1670. à
Clemente X.

- Pag. 23. lin. 32. in marg.
Hunc

- Ibidem lin. 46. manus
Pag. 24. lin. 27. fronte
pag. 30. lin. 19. ubi
Ibidem lin. 31. nibili
Ibidem lin. 38. fuit
Pag. 39. lin. 18. 1508.
Ibidem lin. 33. Constan-
tiense
Pag. 41. lin. 24. 2521.
Ibidem lin. 27. familicia
Ibidem lin. 33. 1717.
Ibidem col. 44. n. 4.
Pag. 44. lin. 43. solicitudé
Pag. 46. lin. 18. reperat
Ibidem lin. 45. 1576.
Pag. 52. lin. 10. 1520.

- Nunc
manu
fonte
ibi
nobili
fuerit
1405.
Basileense
1521.
familia
1720.
col. 311. n. 41.
solicitudinem
recepérat
1578.
1510.


IN CATALOGO REFORMATORUM.


ALIA

ERRATA SIC CORRIGE.

- Pag. 10. lin. 16. 1439. 1489.
Ibidem lin. 42. Abbate, Abbatem
Pag. 20. lin. ult. Ludovicum Henricum IV.
XIII.
Pag. 21. lin. 10. 1610. 1608.
Ibidem lin. 44. 1686. 1586.

FINIS.





ARMELLIN
THE
NS

BY ONE